F. 2, 100

ACTA
CANONIZATIONIS
SANCTORVMPETRI
DE ALCANTARA
ET MARIÆ MAGDALENÆ
DE PAZZIS
S. S. D. N.
CLEMENTI IX
PONT. MAX.
Dominicus Cappellus
D. D. C.
Romæ Ann Dñi
M D C L X I X

6391

ACTA CANONIZATIONIS

S. PETRI DE ALCANTARA,

ET

S. MARIAE MAGDALENAE DE PAZZIS

A DOMINICO CAPPELLO COLLECTA,

In Quibus
Relationes habitæ in Congregatione Sacrorum Rituum:
In Consistorio Secreto: & Publico
describuntur.

Sermo item SS. D. N. ac Suffragia S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum, recensentur,
Cum iis omnibus, quæ ipsum Canonizationis actum
præcedere solent.

Solemnitas etiam Canonizationis: Sacrosanctæ Basilicæ Vaticanæ Apparatus: & Expensæ in illis factæ exactissimè referuntur.

Additis Ichnographicis Theatri Tabulis.

ACCESSIT DISSERTATIO
ILLVSTRISSIMI, AC REVERENDISSIMI DOMINI
D. FRANCISCI MARIAE PHOEBEI
Tarsensis Archiepiscopi,

In quâ multa super Canonizatione Sanctorum sacræ, & antiquæ eruditionis plena traduntur.

Cum Indice Rerum Memorabilium locupletissimo.

ROMAE Typis Fabij de Falco. M.DC.LXIX.
SVPERIORVM PERMISSV.

ANTONIANUM UNIV. 15 BIBL. D 1

ACTA
CANONIZATIONIS
S. PETRI DE ALCANTARA
ET
S. MARIAE MAGDALENAE DE PAZZIS

SS. D. N.

CLEMENTI NONO
PONTIFICI MAXIMO

DOMINICVS CAPPELLVS
P. F.

NEMO mihi audaciæ, aut temeritatis notam infliget, BEATISSIME PATER, ſi quæ nupèr in ſolemni Canonizatione Sanctorum PETRI de Alcantara, & MARIAE MAGDALENAE de Pazzis geſta ſunt, hoc brevi Com-

pendio in ordinem à me digeſta Sanctitati Tuæ nuncupare auſus ſum. Tuum enim eſt quidquid in his paginis continetur; juſtitia autem, & ratio exigit, ut ſuum unicuique tribuatur: utque omnia ad originem redeant, à qua efluxerunt. Fateor quidem, me auguſtiſsimis rebus ediſſerendis longè imparem eſſe, earumque dignitatem ingenij penuria, & facundiæ defectu deterrere: ſed vincit ſterilitatem meam Sanctorum fœcunditas, quorum virtutes hìc toti Eccleſię veluti in tabula exhibentur, eorumque divitiæ ſupplent inopiam meam. Qua fiducia fretus Sanctitatem Tuam

hu-

humillimè exoro, ut qua ſoles humanitate hoc opuſculum excipias, ejuſque Auctorem pedibus Tuis oſcula figere patiaris, Deum jugitèr pro Tua incolumitate deprecantem, è cujus vita Chriſtiani Orbis felicitas pendet.

Imprimatur,

Si videbitur Reverendiſs. P. Magiſtro S.Pal. Apoſt.

I. *de Angelis Archiep. Vrbinaten. Vices-ger.*

Imprimatur.

F. Hyacinthus Libellus S.Pal. Apoſt. Magiſter.



ACTA CANONIZATIONIS

S. PETRI DE ALCANTARA, ET S. MARIAE MAGDALENAE DE PAZZIS

A DOMINICO CAPPELLO COLLECTA.

ECCLESIA Catholica divinâ luce perfusa radios suos per totum Orbem diffundit, ab illo mystico Sole lumen accipiens, cujus calore, & influxu animata, in sanctitate, & justitiâ coràm ipso perpetuò subsistit. Hæc est veræ, & Apostolicæ Ecclesiæ nota, quæ in cœtibus infidelium non reperitur, quòd in eâ semper sanctitas viget, quam propterea in Symbolo fidei Sanctam esse profitemur. Atque ideò Romanus Pontifex aliquot interdùm viros, & mulieres, quorum virtus heroica signis divinitùs editis confirmata magis elucet, Sanctorum catalogo adscribere consuevit; ut perpetua in Eccle-

siâ Romanâ Sanctorum succeſſio infallibili Apoſtolicæ Sedis judicio comprobetur. Nuper enim ſacris Altaribus admoti ſunt, uti ſplendidiſſima Eccleſiæ lumina, Thomas de Villanovâ Archiepiſcopus Valentinus, & Franciſcus Saleſius Epiſcopus Genevenſis. At nunc (Petro de Arbues, Aragoniæ Inquiſitore: & Rosâ à S. Mariâ, Virgine Limanâ, in Beatorum numerum relatis) ſolemni Canonizatione illis additi PETRVS de Alcantarâ pœnitentiæ rigore, & evangelicâ paupertate conſpicuus, ac MARIA MAGDALENA de Pazzis admirabili puritatis nitore, & angelicâ morum innocentiâ refulgens, ipſam Eccleſiam heroicarum virtutum ſplendôre illuminant.

Canonizati.

Beatificati.

Quo autem modo, quâ exactâ diligentiâ, quanto graviſſimarum rationum pondere arduum hoc, & ſummi momenti Canonizationis negotium proceſſerit, & quàm accuratè, ac ſeriò cauſa hujuſmodi diſcuſſa ſit, ex ſequenti narratione conſtabit: initio ducto à S. PETRO de Alcantarâ.

Referuntur Acta in cauſa B. Petri.

Die VIII. Martii anno MDCL. coràm ſanct. mem. Innocentio Decimo jam fuerat declaratum, conſtare poſt indultam B. PETRO venerationem de duobus miraculis, ejuſdem interceſſione ab omnipotenti Deo patratis. Itàque ſolùm ſupererat, quòd Summus Pontifex juxtà plurimas, ac repetitas Catholicorum Principum preces ad ſolemnem ejuſdem Beati Canonizationem deveniret; tamen eò hujuſmodi cauſa producta eſt, ut è vivis erepto ſanct. mem. Innocentio X. & ad Pontificatûs apicem

cem evecto fel. rec. Alexandro VII. Illustrissimus, & Reverendissimus D.Franciscus Maria Phœbeus Archiepiscopus Tarsensis, tunc Sacrorum Rituum Congregationi à Secretis, Sanctorum fastis jam adscripto Thoma à Villanovâ, B. PETRI merita, causam jam absolutam, Christiani Orbis Regum, ac Magnatum vota hoc unum unanimiter expetentia Sanctitati Suæ pluries referret. Demum processibus in specie tum ante, tum post indultam B. PETRO venerationem compilatis, accuratè perlectis, de iis, quæ Sacra Congregatio maturâ discussione appprobaverat, integram, & distinctam relationem Suæ Beatitudini obtulit, ut inde illius merita pleniùs agnosceret,& postmodum quid in re tanti momenti agendum foret, Deo aspirante, decerneret.

Plurimis interim elapsis mensibus, tandem Sanctitas Sua divino afflata Spiritu D. Phœbeo imperavit, ut in primâ Congregatione coram se habendâ, prout sancivit sanct. mem. Vrbanus VIII. à D.Cardinale Relatore quicquid post indultam veneration-nem ab ipsâ Congregatione definitum fuerat plenè, & distinctè referretur, ut absolvi possent, quæ ad ejusdem causæ complementum spectabant.

SS. mandat haberi Congr. in causa B. Petri.

Statim igitur D.Phœbeus ad clariorem vitæ sanctissimæ, virtutum, & miraculorum B. PETRI evidentiam, omnium quæ in eâdem causâ peracta erant,Compendium collegit,& ad DD.Sacræ Congregationis Cardinales, ac Consultores transmisit, quod hîc ne prolixiores simus,ideò omittimus,quia convenit cum relatione inferiùs describendâ, additis hisce verbis.

Sec. trâsmittit Acta in causa B. Petri ad Dominos Card. & Cons.

IN futurâ Congregatione coram Sanctiſſimo Eminentiſsimus D. Cardinalis Sacchettus relator cauſæ Canonizationis B. Petri de Alcantarâ referet Acta univerſa in eâdem causâ; & quamvis die V. Martii, anno MDCXXII. decretum emanaſſet, tutò procedi poſſe ad ſolennem ejuſdem Beati Canonizationem, tamen Sanctitas Sua de more audiet ſententias DD. Cardinalium, & Conſultorum, an nimirùm perſiſtendum ſit in hujuſmodi Decreto. Ideò dignentur afferre ſua ſuffragia, Secretario in ſcriptis porrigenda, ut inter Sacræ Congregationis monumenta de mandato Sanctisſimi aſſerventur.

Habetur Congreg. Sac. Rit.

ITAQVE die XII. Aprilis anno MDCLX. in Congregatione Sacrorum Rituum habitâ coram Summo Pontifice, Eminentiſsimus Sacchettus narrationem de vitâ, rebus, geſtis, & miraculis B. PETRI ex ſcripto proſecutus eſt, quã D. Phœbeus à Secretis pro ſuo munere in hanc formã congeſſerat.

Relatio in ead. Congr.

THESAVRVM permanentem in Cælis vili apud homines paupertate comparatum coram exhibeo Beatisſime Pater, geſta ſummatim narraturus B. Petri de Alcantarâ, Seraphicæ diſtrictionis Reſtauratoris, mirifici Reformatoris, ac Fundatoris Provinciarum S. Ioſephi, & S. Io. Baptiſtæ; à quibus eo auctore reliquæ Provinciæ, ac penè innumerabiles ſtrictioris Ordinis familiæ fœcundisſimè promanarunt. At quis dignè poterit ejus virtutes, & admiranda pertexere, quæ omnem ſuperant dicendi modum? Quis inquam aptè loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus mirabilis,

in

in Sanctis ſuis? Verùm quia os Domini per Pſaltem locutum eſt: *Propè eſt Dominus omnibus invocantibus eum in veritate*; idcircò certus, quòd fidelis ſit Dominus in omnibus verbis ſuis, confidenter agam, & non timebo: memoriam abundantiæ ſuavitatis Servi ſui eructabo, magnificentiam ſanctitatis loquar, & mirabilia ejus narrabo; ſiquidem aderit, & loquetur Dominus. Gloriabuntur verò in te omnes, qui diligunt nomen tuum, quoniam tu benedices juſto, Beatiſime Pater.

IN Bæturiâ Hiſpaniarum Regione Norbæ Cæſareæ, quæ ſacræ Alcantarenſis Militiæ præcipua ſedes exiſtit, ex parentibus nobilitate generis, & Chriſtianâ pietate claris Petro Garabito, & Mariâ Villelâ, anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo nono natus, & ex ſacro Fonte renatus eſt Petrus, cui idem fuit in Baptiſmate, & in Regulari profeſſione parentis nomen.

Creſcebat infans ætate, creſcebat ſimul ſapientiâ, & gratiâ; ab ineunte ætate ambulans in innocentiâ, in quâ fuerat ingreſſus, ſervans depoſitum, quale acceperat, animam nempè, quam ei Dominus commendaverat, noxarum maculis non deturpans, & in eâ, quâ cœperat, morum innocentiâ perſeverans, ibat de virtute in virtutem: poſitâ ſemel manu ad aratrum, retrò nunquam reſpiciens, & quaſi menſuram ætatis excedens, in bonis operibus penè ad miraculum enitebat; ludicra enim, & voluptatibus obnoxia vitans, & hominum commercium fugiens, totum ſe dabat meditandis Dominicæ Paſ-

ſio-

sionis mysteriis, ac si jam tunc futuræ Sanctitatis fundamenta, à divino Spiritu motus, poneret.

In Gymnasio literas, domi amorem Domini discebat; nec deerat illi acre pro ætate ingenium: porrò æqualibus ferè profectibus, studii, & virtutis respondebat parentibus, & magistro; etenim docebatur justus, & festinabat accipere: accipiebat documenta, & reddebat exempla virtutum. Crescebat, confortabatur, senem agebat moribus, annis puer; nunquam tamen præsumens se esse perfectum, ne ab incœpti itineris intentione cessaret, incideretque in deficiendi periculum, ubi proficiendi deposuisset amorem, ab iis, quæ jam divino favente Numine apprehenderat, ad anteriora se extendens, piâ aviditate currebat, & quotidie nova capiebat incrementa virtutum. Sciens verò eum sapientem futurum, qui cum sapientibus graditur, religiosis delectabatur viris, à prophanis abhorrebat libris, & sacros evolvebat, per quos disceret, Deum cognoscere, & amare. Abstinentiâ præparans animum ad Divina, jam quasi Paulus ad tertium Cælum sublevari incipiebat, & divinum mentis impetum ad rerum cæleſtium contemplationem erigens, tacitos, reconditosque sensus excelsæ Majestatis Divinæ, ex illâ Sanctorum admirabili suavitate delibutos, in apertam lucem, Angelico more inter homines conversando, proferebat. Hujus tamen singularis beneficentiæ magnitudo eum non attollebat; imò ad humilitatis studium provocabat intensiùs, jam tunc à pueritiâ cautus declinare virus virtutum ina-

nem

nem gloriam, ne de magno minueretur, ſed creſceret de puſillo.

Adhuc puer, cùm vehementèr deſideraret in ſtudia Literarum incumbere, ad Academiam Salmaticenſem ſe contulit, ubi diſciplinis ſtuduit, & brevî inter æquales ſic ingenii laude enituit, ut Magiſtrum ipſum haberet admirantem, nec torpentes invidiâ condiſcipulos pateretur; quippè qui non, ut adſolet, ſcientiâ inflabatur, ſed perfectè ſciens in demiſſione animi, & humilitate, cognitionem conſtitui veritatis, parùm illi videbatur, ingenio, & eruditione alios præcellere, niſi modeſtiâ, & humilitate ſeipſum ſuperaret, & omnibus cederet. Indè regreſſus in Patriam, adoleſcentiam ſummâ exêgit ſimplicitate, & puritate angelicâ, perpetuò orationi vacans, & operibus miſericordiæ. Illius animum minimè occupabant rerum caducarum ſpecies: & quamvis inter illas in ſeculo verſaretur, non eum à Cæleſtibus humana avocabant; ſed illius mens Divinis intenta, ibi deſiderium ſuum figebat, ubi, quod offerebatur, æternum erat.

Cùm tamen altâ mentis cognitione perſpiceret, hanc mortalem in ſeculo vitam innumeris plenam eſſe periculis, inſidiari illi carnis illecebras, pecuniarum lucra blandiri, adulari cupiditates, cuncta ferè perniciem, & interitum afferre, univerſas verò vias Domini miſericordiam eſſe, & veritatem; cœpit illi diſplicere vana felicitas; & charitas ejus magis, ac magis abundans in ſcientiâ, & in omni ſenſu, probavit potiora, ſtatuitque abſtinentiæ vias patientiæ

greſ-

greſſibus terere, & ſanctæ converſationis habitum quærere pauperrimum, cum Davide inquiens: *Portio mea Domine cuſtodire legem tuam, bonum mihi lex oris tui ſuper millia auri, & argenti.* Ad quam perfectè legem adimplendam, rebus humanis nuncium remittere decrevit, & totum ſe divino ſervitio mancipare, ubi corpore ad terram abiecto, animus in Cælo habitaret. Proindè Seraphici Patris Cœnobia inviſens, regularis ejuſdem ſelectæ ſibi diſciplinæ legibus inſtrui ſatagebat. Et ne ſubita mutatio mentem ſimul, corpuſque turbaret, occultè arripuit mirè exercere jejunia; & quia non ſolo iejunio ſalus animæ acquiritur, miſericordiam in pauperes jejuniis addebat, ut hæc ideò acceptiora fierent miſerationum ſociata ſuffragiis. Dehinc in ſtudio virtutis quotidie magis progrediens, ſodalium, & amicorum conſortia vitare, corpus flagellis aſperrimè cædere, orationi inſiſtere, & in aliorum ſalutem præclara pietatis documenta præbere cœpit.

Iis igitur probè inſtructus, & ſerviendi Deo ſtudio flagrans, timens, ne conſanguinei, aut parentes currentem ad bravium virtutis, & ad Religionis portum navigantem impedirent, die quâdam clàm domo paternâ aufugiens, Conventum petiit S. Franciſci loci Manzarretes, tertio à Valentiâ lapide diſtantem; ſed morabatur interceptus à fluuio *Tietar*, qui tunc fortè continuatis per dies imbribus nimis intumuerat. Quid faciet inops conſilii? nox imminebat, augebat horrorem ſolitudo loci, aquarum fragor: non cymba, non navicularius aderat. In his

rerum

rerum anguſtiis, flexis humi genibus, à Deo remedium imploravit; & ecce de repente in ulteriori fluvii ripâ ſe reperit, Divinâ virtute corpori levitatem tribuente, ſingulari illo privilegio, quod olim Principi Apoſtolorum conceſſum fuit: exindè adoleſcens ejus admiranda aſſecutus cujus nomine gloriabatur, Divinæ vocationis argumentum hauſit inſigne. Quare ad Cœnobium celeriter pervenit, & Cuſtodiæ Franciſcanæ Præſuli, ad ejus pedes abjectus, humile cordis ſui deſiderium indicavit. Præerat tunc Conventui Fr. Michaël Rochus, vir moribus laudatiſſimis, qui ſacrilegium putans Petrum rejicere ſupplicantem, eum inter ſuos humaniſſimè admiſit. Ille ſeculari ſtatim habitu à ſe procul abjecto, humile, & aſperum ſaccum induit, & quaſi vereretur illum deperdere, funiculo medium corpori adſtrinxit arctiſimè. Deus autem præcinxit illum virtute, & poſuit immaculatam viam ejus. Potentibus enim Dei armis munitus, paupertate, humilitate, religioſæ diſciplinæ rigore, rarâ oculorum modeſtiâ, & continuo orationis ſtudio accinctus Chriſti tyro, ſedebat levans ſe ſupra ſe, humana tranſcendens, & ad cæleſtia totus anhelans. Itaque Fratribus Minoritis aggregatus, initio ſtatim tyrocinii tam magnos in virtute progreſſus fecit, ut inter cæteros ceu emeritus miles emineret, omnibus tamen animi demiſſione, & obedientiâ inferiorem ſe indicabat. Sic vitam ſuam rectè inſtituens, majoribus, æqualibus, minoribus charus, & amabilis erat.

Anno mox tyrocinii expleto, professionem emisit in manibus Fr. Francisci Fregenalis, viri sanè venerabilis: & novum quoddam, ac sanctius, Deo jam votis adstrictus, vitæ genus instituit, & Hieremiæ in primis memor, dicentis: *Per oculos intrat mors in animam*, oculis semper in terram dejectis, neminem unquam aspiciebat, assuetus in viâ sequi socium, ac si cœcus esset omninò. Prætereà nunquam advertit, num Chorus Ecclesiæ, quem diu, noctuque adibat, fornice obductus esset, an laqueari. Quadriennio jam cujusdam Conventus incola, nec arborem malum medicam, quæ erat in atrio ejusdem, viderat, adeò ut miraretur aliquando quasi rem novam, cum peregrinus quidam Frater illam valdè laudaret. Nec sciebat post integrum annum, an cellula sua ex lapidibus, aut lignis constaret. Cumque attentiùs oraret, passim à sensibus penitus abstractus videbatur; & suspenso in aëre corpore, animus in Cælum rapiebatur: quare nec semel evenit, ut in contemplatione defixus, caput ad januam cubiculi allideret.

Anno ætatis vigesimo, juventutem senili prudentiâ supergressus, præter morem Religionis, Custos Cœnobii Sanctæ Mariæ Angelorum Caurien-sis Diœceseos renunciatus est, ubi tanta ei desuper collata est gratia, ut non modò sanctæ vitæ exemplis, & doctrinæ radiis, sed signis etiam, & prodigiis coruscaret, quibus aliquâ ex parte, quod erat soli Deo notum in illo, etiam manifestum fieret hominibus.

Siqui-

Siquidem cum per dies aliquot nix copiosa è Cælo cecidisset, quæ à Conventu Fratres egredi ad petendam eleemosynam prohibebat, vigiliâ jam imminente Nativitatis Domini, panes omnes consumpti erant, & horti olera nivibus emortua, ita ut nihil jam ad refectionis horam Fratribus apponendum in mensâ supereſſet; isti penuriam escæ Petro indicarunt, quorum ille pusillanimitatem modestâ increpatione corripuit: *Multis*, inquiens, *passeribus meliores estis vos; sperate in Deo, & ipse vos enutriet.* Mox flexis genibus, Dominum precabatur, ut memoriam faciens mirabilium suorum, misericors, & miserator Dominus, escam daret timentibus se: statimque audito signo campanulæ exterioris ostii, jussit Fratribus, ut accurrerent, exploraturi, an Dominus annonam servis suis mittere dignatus esset; Fratres, reserato ostio, magnam nivis copiam hærentem postibus tantummodò repererunt: Petrum itaque redarguebant, qui etiam hyemis tempore ipsis cogitare de crastino vetuisset, eosque ad summas illas angustias redegisset; quicquid enim supererat, Dei servus quotidie in pauperes distribuere consueverat. At ille certò sciens, non defuturam in se confidentibus Dei opem, & providentiam, & iis, qui jactant cogitatum suum in Domino, annonam abundè præbiturum, rursum dicebat: *Nolite timere pusillus Grex, ite, & inquirite diligentiùs.* Fratres iterùm ad pulsum campanulæ ostium repetentes, ingentem canistrum plenum panibus nivi superpositum ad ostii limen invenerunt;

ac diligenter inquirentes de tanti muneris datore, neminem prorsùs viderunt, qui illud tam importuno tempore, & itinere altâ nive obsito, eò portare valuisset: quare ab omnibus creditum est, Angelorum ministerio delatum fuisse. Alacres igitur, & læti ad Petrum remigrarunt, enarrantes mirabilia Domini: ille eos verbis benignè corripiens, inquit: *Modicæ fidei quare dubitastis? Deo gratias agite, deque illius providentiâ nunquam diffidite; imò memores Evangelicæ monitionis, nihil soliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis, aut quid bibatis, neque corpori vestro quid induamini; hæc enim gentes inquirunt, vester autem Pater cælestis scit, quòd his omnibus indigetis: respicite volatilia Cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester cæleſtis pascit illa.* Ita Apostolicâ doctrinâ, & signis Fratres benignè instruendo, nihil jam benevolentiæ deerat ad correctionem, nihil supererat occasionis ad crimen. Quis igitur æquè pius ad compatiendum, ad corripiendum liber? Augebatur proindè fama ejus sanctitatis, & ad remotiores etiam Vrbes pervadebat. Stupebant, & illius virtutes admirabantur, qui sese Rectorem simul, & Regulam exhibebat. Petri enim vita, viva lex perfectionis erat, & in illius vultu, gestisque tanquam in clarissimo speculo, videbant Fratres veram Seraphicæ virtutis imaginem, & quomodò ipse eos anteiret in sanctitate, & justitiâ omnibus diebus suis.

Præter verò commune cæteris Institutum multa singularis observantiæ, & altioris perfectionis ede-

bat

bat documenta, ad quæ nemo pertingere valebat: Refert enim Sancta Theresia Carmelitarum Reformatorum Ordinis parens, & ornamentum, quòd ne momento quidem diei, ac noctis Petrus cessabat ab oratione: & ne somnus ei laudes interrumperet, flexis genibus supra pellem, quam desuper tabulam suberis humi stratam in stragulum adhibebat, ad ligni stipitem parieti infixum innixo capite, vix dormitare incipiebat, cùm repentè excitatus vigilias repetebat. Idque interdum ab assiduâ meditatione fesso capiti indulgebat, ut saxo cervicalis loco inniteretur, memor Chrysologi sententiæ: *Homines esse, qui more debitæ servitutis, indefessis excubiis, adventum Domini præstolantur: qui verò corpori serviunt, ut jam Divinam nesciant servitutem, & de carnis voluptate soliciti, solicitudinem occursus Dominici perdiderunt, homines non vocandos esse, sed jumenta.* Itaque pervigil in excubiis, in occursibus indefessus, sequentibus se Ducem præbebat virtutum omnium exemplar absolutum. Hæc inquam supellex Petri cellulam ornabat, præterea nihil: pellis ovina, suberis tabula, silex, & ligni paxillus; cæterùm rudis paries & informis conopeum præstabat illi simul & domicilium: Cella autem adeò erat angusta (teste ipsa Theresia) ut pedum quatuor longitudine, trium latitudine constaret; adeòque humilis, ut non posset in eâ Petrus erectus permanere, sed cogeretur flexis genibus, & curvis semper humeris prò loci humilitate se ibidem minorem reddere, fierique parvulus, ut magnus suo tempore intraret in Regnum Cælorum.

Pa-

Paternam S. Franciſci humilitatem, obedientiæ virtute ſupergreſſus, Regale Sacerdotium, antequàm Superiorum ad id imperio cogeretur, formidabat accipere, tantâ ſe dignitate indigniſſimum reputans: juſſus tamen illo inſigniri, non abnuit. Itaque non ſumens ſibi honorem, ſed vocatus à Deo, tanquam Aaron, Sacrum quotidie faciebat, & tantos aquarum exitus intereà deducebant oculi ejus, ut illud Scripturæ ei aptari poſſe videretur: *Fons hortorum, & puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano.* Prætereà ſupra cubitum è terra elevabatur, & ſemel à S. Thereſiâ, ab aliis frequenter etiam in itinere, ad binos uſque cubitos viſus eſt in aëre, elevato, & ſuſpenſo corpore, meditando conſiſtere.

Peritiſſimus fuit arcanorum cæleſtium, quæ ſimplicitate mentis, Deo revelante, faciliùs quàm ingenii acumine, & hominum doctrinâ, penetrabat; ita ut more ſplendidiſſimæ nubis lucem ſpargeret. Coactus itaque Superiorum præcepto ſuggeſtum aſcendere, & ad circumſtantes prædicare ex tempore, dedit illi Dominus verbum evangelizandi virtute multâ, adeò ut omnes dicerent tunc impletum eſſe illud Evangelii: *Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.* Miſericordiam nempè cum ſeveritate ſociabat, zelum cum pietate miſcebat, & rigorem benignitate temperabat, in ſe unum rigidus ſemper, & auſterus. Erumpebant de ore ejus, quaſi ſagittæ potentis acutæ, à quibus innumeri ad pœnitentiam ſauciati eruebantur de poteſtate tenebrarum, & transferebantur in Regnum Filii Dei. Do-

Donum discretionis spirituum à Deo accepit, ideòque singulis, prout opus erat, idonea remedia præbebat: Tyrones bono credere, & malo fidem non adhibere docebat optimus rerum divinarum Magister. Ab his tamen abstinendum sibi, dum seneſceret, necessum habuit, ut plausus humanos effugeret, Sanctorum pestem. Plerumque enim in extasim rapiebatur, dum oculorum aciem in Crucifixi Imaginem concionando defigebat. Post concionum verò laborem publicum, omnibus omnia factus, ad viliora erga pauperes officia descendebat: egenis ad victum necessaria suppeditabat, ipsis in abjectissimis etiam muneribus inserviebat, & Christi memor docentis, *Non in solo pane vivit homo*, unà & Dei verbo illorum animas pascebat; quos ideò nihil habentes, ac si jam omnia possiderent, habendi voluntatem contemnere suadebat: porrò etsi tenuissimo victu, & vilissimo aleretur, de illo tamen partem detrahere curabat, quam in suos pauperes erogaret, nec ullo unquam die pro ratione suæ paupertatis stipem iis denegabat; gnarus, in lance justitiæ apud Deum, non pretium, aut multitudinem munerum, sed animum, & studium donandi pondus habere, & æquari merito, quod distat impendio: nec levia dixerim Petri dona, sociata pondere subsidii spiritualis.

Conventum S. Honuphrii Provinciæ S. Gabrielis moderandum suscipere coactus, orandi studium voto magis valuit, quàm opere adimplere: siquidem eum jam sanctitatis fama celebrem adibant omnes non modò infimi, & populares, sed nobiles,

& potentes in ſeculo, ut ſe illi ſapienti, & ſanctitate conſpicuo, & in rebus, quæ ad conſcientiam pertinent, mirè verſato, committerent inſtruendos. Tanta autem erat ſermonis illius fœcunditas, & ſuavitas, ut certatim ad pœnitentiam innumeros alliceret, & attraheret peccatores. De bono tamen eorum, quos ſaluti reſtituerat, ad gloriam inflatus eſt nunquam, neque de animabus in peccato induratis murmuravit, ſed eodem ſemper animo manens æquè benigno, & juſto, gratias Deo referebat, admonens univerſos vitiorum cæno immerſos, ut oculos ad Cælum attollerent, peccatorum ſuorum pœniterent, & veniam à Deo peterent: à peccati verò jugo jam liberatis ſuadebat, ut conſtantes in Fide, & Charitate permanerent, Deoque tantùm, cujus fuerant miſeratione ſanati, ſeſe gratos perpetuò exhiberent.

Curâ poſteà regendi Conventum S. Michaëlis Placentiæ ſuſceptâ, diſcipulorum animos in ſtudio ſanctæ converſationis exercuit. Et indè ad alios Ordinis Conventus translatus, auſteræ admodùm vitæ normam ſibi præſcripſit, & in ſuum corpus, ceu domeſticum hoſtem ſævire cœpit. Summâ hyeme (ut refert S. Thereſia) urgente nivis frigore, pallio ſe exuens, cellæ feneſtram, & januam reſerabat, ut frigidiſſimo excepto aëre, & gelu, acriùs corpus torqueretur: tunc feneſtrâ, & januâ clauſis, & pallio reſumpto, carnem blandè increpabat, ut miſera gauderet vehementiori frigori ſubtracta, in poſterum verò placidiori contenta eſſet, ne ſibi aliquid

de-

deterius contingeret. Ita tam durè ſecum agebat, ac ſi corpus ſuum non eſſet, nec alienum; nam alioqui non tam diris modis illud tractaret, dum ſe tunc tantùm credebat algere, cùm proximum pallente nuditate præ frigore trementem intuebatur.

Procedente ſubinde tempore, in Capitulo celebrato in Conventu S. Gabriëlis Civitatis Pacenſis, miro Fratrum conſenſu, Provinciæ Definitor electus eſt. Neque dignitas Magiſterii deſideravit in illo virtutum incrementa: fiebat enim in dies ſe ipſo ſanctior, & prudentior, & Evangelicæ illius doctrinæ ſectator accuratiſſimus, *Non duas tunicas, neque calceamenta habeatis*, nudis incedebat pedibus; imò & nudum caput hyemis imbribus, & nivi exponebat, ita ut interdum capilli gelu concreti deciderent, æſtatis verò tempore, exurentibus Solis radiis, exulcerato capite vehementiſſimè cruciaretur. Interrogatus autem, cur detecto capite ſemper incederet, reſpondebat: *Coram Deo nefas eſſe tecto capite ambulare*; ac ſi Deum præſentem ſemper, & ubique haberet. Cùm verò illi opus erat vetuſtum, ac vilem ſaccum, quo induebatur, mundare, quem à Regularis profeſſionis exordio nunquam mutavit, illum abluebat, & adhuc madidum reſumens, ut ſe ita caſtigaret, ſuo corpori aptabat. Nec hiſce ſatur incommodis, ſæviſſimâ etiam hyeme, plerumque in gelidam aquam ſeſe injiciebat, ut lubricæ carnis incendia extingueret, & inſidias dæmonis eluderet; illo tantùm igne, quem Dei accendebat charitas, in corde retento.

Annos natus triginta novem in Conventu S.Mariæ de Alburquerque omnium ſuffragiis in Provincialem Provinciæ S.Gabriëlis electus eſt: adeò enim ejus aſpectu, & familiari colloquio Fratres recreabantur, ut certatim ad eum promovendum, nemine diſſentiente, concurrerent. Cœpit tunc primævam S. Franciſci Regulam auſteram, & perfectam paupertatem diu meditatam in uſum reducere: itaq; coactâ Congregatione, quam intermediam vocant, in eâ leges edidit, quibus Provinciam ſibi commiſſam uniformi vitæ, & priſco Seraphici Parentis inſtituto, & perfectioni reſtituit. Cumque nemini jam ad dexteram, aut lævam partem deflectere ab antiquâ converſationis regulâ liceret, nonnulli debiles ad tantę perfectionis lucem caligantes, in eum inſurrexerunt, & acuerunt linguas ſuas, os implentes maledictione: alii verò quamvis durum ſibi videretur, quòd cogerentur in mente veteri nova meditari, diſcipuli tamen veritatis, ſui etiam diſſimilem diligebant, & bellum vitiis, non aſſertori veritatis inferre parabant. Sed nunquam ille aut irâ ſubitâ concitatus patientiam abjecit vel humilitatem, ſed ſemper hilarem faciem gerens, liquidò oſtendebat, ſe de cæleſtibus tantùm rebus cogitare, ſicut Scriptura ait: *Corde lætante vultus floret.* Quærebat irriſiones, & contumelias amplectebatur, inter illas exultans fortiſſimus Chriſti Athleta; coram tondente ſe obmuteſcebat, & non aperiebat os ſuum, ratus expedire, ut vivus lapis tunſionibus, & preſſuris, nempe injuriis, & inſectationibus, expoliretur: æquo igi-

tur

tur animo ferebat injurias, & pro perſecutoribus Deum precabatur. Quam verò imponebat aliis legem, & diſciplinam, magis ipſe portabat Legifer, & Magiſter, omnibusque præibat exemplo; quippe in vilioribus miniſteriis inſerviebat Fratribus: dum recumberent miniſtrabat, factus è recumbente miniſter, & qui præceſſor erat, ſicut miniſtrator, ſtrenuè implens officium ſibi demandatum, tanquam unus ex illis, imò & omnium minimus.

Cum ſibi ipſi parum proficere videretur, ad antiquum rigorem familiam ſuæ gubernationi commiſſam reducendo, niſi etiam illam fœtu novæ prolis amplificaret, in ipsâ S. Gabriëlis Provinciâ tres Conventus extruxit, in quibus rigidi propoſiti diſciplinam initio inductam, illæſam cuſtodivit. Vidit itaque paucos intra dies provocatos non paucos exemplo ſui. At præſtitis minimè contentus, ad altiora tendebat, & S. Franciſci perfectionis veſtigiis inſiſtens, unà cum Fr. Martino à Sanctâ Mariâ, fundavit Provinciam Montis Arabidi in Regno Luſitaniæ.

Timens verò, ne filiorum mira fœcunditas, & Chriſti Militum aggregatio copioſa, aut ſuum extolleret animum, aut alios pluris de ſe, quàm videbatur in ipſo æſtimare cogeret, deſerti loci ſolitudinem petiit. Itaque impenetrabilia Montis Arabidorum, deſertique interiora quærenti, ſpecus occurrit, ubi ſilentium, quaſi à Deo oblatum, & nullum prorſus cum hominibus commercium amplexus eſt. Ibi cum cibum ſumere, ne corpus deficeret, vel

ANTONIANUM BIBL. UNIV.

ſomno indulgere pauliſper cogeretur, miro afficiebatur pudore, dolebatque ſanctam animi libertatem carnis miſeriis coërceri. Quotidiano igitur martyrio ſe torquebat, corpus aſſiduis jejuniis, vigiliis, & flagellis, quaſi vellet iis non ſolùm illud caſtigare, ſed conficere, dilacerabat; & ſolitus integras ferè noctes, & magnam diei partem in meditationibus tranſigere, Angelicam planè vitam in illâ ſolitudine ducebat; quò adhuc Peregrini confluunt, venerationis causâ in ſpecu cellulâ viſuri, ſepulchri magis, quàm humani habitaculi ſpeciem præſeferentem.

Nova mox officia charitatis in proximum, Conventum repetere, Petrum compulerunt, aliis magis, quàm ſibi prode ſſe cupientem: quare in Capitulo celebrato in Provinciâ Sancti Gabriélis, Definitoris partes aſſumere coactus eſt. Virum tunc in Hiſpaniæ angulo, & in abdito Conventus loculo conditum, favor Principum, & omnis Aula Regalis in publicam lucem adduxit; ſiquidem magnificaverat illum Dominus in conſpectu Regum. Itaque à Carolo Quinto clar. mem. Imperatore Auguſto, & à Ioannâ Auſtriacâ Luſitaniæ Principiſsâ Confeſſarius eligitur, & ad id muneris ſuſcipiendum literis repetitis invitatur: verùm ille ſibi ſemper ſimilis, munus oblatum modeſtè rejecit, mallens inter ſepta Monaſterii abjectus in Domo Domini vitam tranſigere in ſanctis meditationibus, quàm Aulas Principum, etſi piiſſimi eſſent, frequentare.

Creſcebat tamen in dies fama Sanctitatis, & latè Divinâ favente gratiâ, per univerſam Hiſpaniam

volabat, quantumvis ille ſummâ animi demiſſione eam occultare curaret. Quare in Capitulo, quod vocant intermedium, Cuſtos Provinciæ Sancti Gabriëlis adlectus eſt, quo munere inito, ſicut cæteris præerat officio, ſic exemplo omnibus prælucebat; omnium virtutum ideam Fratribus ad imitandum ſe exhibuit, Angeli potiùs, quàm hominis vitam gerens.

Inde Romam profectus eſt, deſiderio flagrans erigendi novas Provincias in ſummâ paupertate, ipsâque Seraphici Parentis perfectione; Romæ degentibus Fratribus propoſitum indicavit, ex quibus nonnulli imbecilliores, ſuis tantùm commodis addicti, motus in Religione excitarunt, & bellum Dei famulo indixerunt, ſi pergeret meditata perficere. At Petrus Davidicum illud conſervans eloquium: *Dominus mihi adjutor, non timebo, quid faciat mihi homo*; minis nequaquam perterritus, quicquid Fratres Obſervantię contendunt, à Miniſtro Generali Conventualium conatus eſt obtinere. Voti compos effectus, à Paulo Quarto Summo Pontifice, qui Petri invictum, & Apoſtolicum zelum antenoverat, Literas Apoſtolicas accepit, quibus illum ad erigendas novas Provincias ſtrictioris Diſciplinæ per Hiſpaniam creavit Commiſſarium Generalem. Petrus operi accingitur, & in Hiſpanias regreditur, ægre ferentibus Fratribus de Obſervantiâ, quòd ſub Conventualium obedientiâ, ſtrictioris Regulæ Provincias fundandi munus ſuſcepiſſet. Et ecce extraneus factus eſt fratribus ſuis, & peregrinus filiis matris

ſuæ:

ſuæ: ſemel enim ex itinere fatigatus, cum Conventum Fratrum de Obſervantiâ adjiſſet, oſtiarius, eo cognito, & in Conventus clauſtra perducto, clauſit oſtium, eumque velut apoſtatam innumeris contumeliis affecit; at quaſi parum eſſet, ſuis tantummodò conviciis eum impetere, ſocios multos ad probra in Dei famulum ingerenda convocavit. Fratres neque id ſatis eſſe pro demeritis arbitrantes, in quem jus contumeliæ obtinuerant, jus flagellationis exigunt, eumque flagellis de more Religionis cædere conſtituunt; quare Petro imperant, ut nudo tergo, genibus flexis, omnium verberibus ſe exponat; ille verò juſſis obtemperans, Chriſti veſtigia ſequutus, *Qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus, tamen cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur, tradebat autem judicanti ſe injuſtè*, non ſolùm aſſentitus eſt, ſed flagellis cædi enixè rogavit, ſibique denudavit humeros, dorſum tradidit in flagella, & maxillas ad palmas. Fecit autem Dominus judicium injuriam patientibus, qui & in flagella paratus erat: Petrum ſiquidem denudatis humeris Fratres intuentes, ferreis catenis, horrido cylicio, foraminibus aſperâ bracteâ ſanguine conſpersâ præcinctum, eo moti ſpectaculo averterunt ſe retrorſum, & non ceciderunt, quia Dominus ſuppoſuit manum ſuam; nec enim difficile fuit religioſis viris declinare à malo, & facere bonum. Convicia igitur in convivia verſa ſunt, in laudes contumeliæ, probra in admirationem, & Petrum hoſpitem, & fratrem charitatis brachiis vix illum

dimittere à ſe volebant. Ille tamen, Fratribus exemplo patientiæ jam ad meliorem frugem converſis, ocyùs à refectione declinans, & à Conventu diſcedens, quò eum trahebat ſpiritus, pervenire feſtinavit.

Poſt multos pedeſtris itineris labores, in Regno Caſtellæ non longè ab Oppido *del Pedroſo* occurrit illi locus aptus Conventui ædificando, in quo primam ſuam ſtrictioris Ordinis Familiam inſtituit: & multi ad eum confluere cœperunt, accenſi ſeverioris vitæ ſtudio, & Deo inſerviendi deſiderio ſub illius diſciplinâ, quos ille ad omnem virtutem informabat, & ad rerum cæleſtium amorem inflammabat. Eò innumeri adhuc è diverſis Mundi partibus Peregrini accurrunt, viſuri Conventum aviculis magis, quàm hominibus idoneum, tam arctum, & anguſtum, qui vix hominem capiat; multis tamen Mundo jam mortuis ſatis ſuperque ad habitandum erat: cum longitudo triginta duorum palmorum menſuram non excederet, nec tanta eſſet illius latitudo; ubi ſub ſcalâ, Petri cellula conſpicitur adeò anguſta, ut mirum ſit, in illâ hominem habitare potuiſſe; hanc flexo poplite Peregrini venerantur, & admirantur, undique Petri ſanguine conſperſam, dum flagellis inibi in ſe ſæviebat acerrimè.

Quò magis verò Petrus in anguſtiori cellâ incluſus ſeculo deliteſcere ſatagebat, eò fama ejus ſanctitatis magis effundebatur; diutiùs enim latere non poterat lucerna nimis ardens, & lucens.

Illud interim accidit admirabile, quòd cum puer quidam aliquando inſidens aſello caniſtrum plenum

pa-

panibus Petro, & Fratribus ad Conventum deferret, & declinatâ jam die, ad Tagi fluminis ripam perveniſſet, quod tranſire opus erat, ut Conventum adire poſſet, ille nihil prorſus videns, innatâ quâdam ſimplicitate, vel Divino inſtinctu ad aſellum ſe ſiſtentem ait; *Eja piger cur non ambulas, Petrum de Alcantarâ petiturus?* quo audito nomine, aſellus feſtinè intravit aquas, easque ſolidas reperit, & riparum aſpera vias planas: ita puer ad Petrum panes detulit ſicco pede; at retrogreſſus, flumen expertus eſt adeò rapido fluens alveo, ut vix cymbâ præter vitæ diſcrimen vadari poſſet.

Fundavit ſubinde Petrus Provinciam S. Ioſephi, ex quâ prodiere Cuſtodia S. Simeonis in Regno Galleciæ, ac Provinciæ S. Pauli in Regno Caſtellæ, & S. Io. Baptiſtæ in Regno Valentiæ, à quâ ortum habuit Provincia ſuo nomine nuncupata, nempe B. Petri de Alcantarâ. Peperit etiam dicta Provincia S. Ioſephi Provincias S. Didaci in Regno Mexicano: S. Gregorii in Inſulis Philippinis: Matris Dei in Inſulis orientalibus: necnon Conventus plerosque in Inſulis Maluchis, & in Civitatibus Iapone, Vomurâ, & Meaco. Sic multiplicatis Domibus, augebatur numerus Fratrum, augebantur Seraphici Gregis oves fœtoſæ, abundantes in egreſſibus ſuis omnes gemellis fœtibus, quaſi ſterilis non eſſet inter eas. Nullam Provinciam Petrus condidit, quæ nardo pietatis ſuæ non oluerit odorem ſuavitatis; totque Religioſorum choros inſtituit, qui Deum diu, noctuque laudarent, & perfecto corde diligerent:

rent, quot Cœnobia fundavit; In illis enim, prout Petrus jecit Evangelicæ paupertatis fundamenta, ita tanta adhuc viget Regularis disciplinæ observantia, ut, quot illa sunt, tot miracula dici possint.

Inter hæc neque alia defuere mirabilia: socius enim Petri Frater Ioannes de Neirâ semel in itinere conquerebatur, quòd hospitium longè distaret, & jejuno stomacho vix pro imbecillitate viam conficere posset; Petrus scilicet illud Evangelii implere studebat: *Nihil tuleritis in viâ, neque peram, neque panem*: socius inediâ, & siti confectus penè deficiebat; novit Petrus Ioannis deficientis periculum, & flexis genibus ad Dominum confugit, atque ex orationis loco fons illicò erupit pellucidus, ubi panis cum pisce paratus erat; Petrus gratiis pro tam singulari beneficio Deo actis, fatigatum socii corpus refecit, & ad progrediendum ulteriùs excitavit. Verùm ipse solidos jejunans dies, abstinentiæ rigore non frangebatur, solâ orationis dulcedine, & alimoniâ contentus; longum enim in abstinentiâ studium severitatis consuetudine ita in naturam converterat, ut vix tertio die, & interdum octavo (teste S. Theresiâ) buccellâ panis, & modicâ aquâ vesceretur: Dominicâ verò ad delicias addere solebat allium, vel cæpam, & rarò legumina, eaque cinere conspersa, ne fortè per occasionem blandioris licentiæ, delectabilium esu, in aliquas negligentiæ labeculas incideret; satis gnarus, terram hujusce carnis, nisi assiduò subigatur, & excolatur laborum, & mortificationis vomere, ocyùs luxuriare, spinas

& tribulos producere, partuque degeneri fructum facere, horreis cæleſtibus non inferendum.

Cuſtodiebat igitur ſibi omnium virtutum germina, corpusque vigili ſolicitudine, & multis lacrymarum rivulis, ut creſcerent in perpetuas hæreditates, irrigabat, curabatque maximè, ne munera, quæ à Deo acceperat, hoſte humani generis ſuperſeminante, zizania deturparet, dabatque egregiam operam, ut immaculatũ ſe cuſtodiret ab hoc ſeculo.

Tandem meritis plenus, mundana ſpernens, & terrena faſtidiens, in æternorum deſiderium raris mentis exceſſibus rapiebatur. Itaque conſummato curſu, & fide ſervatâ, ad repoſitam ſibi coronam anhelabat impatiens, enixè cupiens jam diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, quem unicè diligebat. Quamvis autem totius vitæ curſus pœnitentię tempus fuiſſet, extremo tamen, quo vixit tempore, quaſi tunc inciperet, caſtigando rigidiùs corpori dies noctesque vacabat; donec inediâ, vigiliis, & flagellis penè confectus, vultu pallens, rugatâ fronte, reconditis oculis, extenuatis naribus, contractis labiis, denigratis dentibus, protenſo collo & gracili, curvis humeris, cadaver hominis, non vivum hominem præferret. Tunc precabatur Dominum cum Davide inquiens: *Ne projicias me in tempore ſenectutis, & cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me Domine.* Abeſſe tamen à Choro nolens, manibus reptãs eò ſe trahebat ægerrimè, ibique ſummâ mentis dulcedine, inter Divinam Pſalmodiam fruebatur; ſiquidem fortior fides ætati vires præſtabat, & effæto corpuſculo alacritatem.

Se-

Sexagesimum demum, ac tertium annum agens, in febrim incidit, & in molestissimos ægritudinis dolores: viribus tamen destitutus, & morti proximus, diu servatæ professionis rigorem (Domini eloquium servans, *Non qui incœperit, sed qui perseveraverit usque in finem, salvus erit*) nec in fine remisit.

Aggravabatur in dies ægritudo: & hilaritas simul Petri æquè ac religiosæ Familiæ mœror augebatur, quam ne fleret, hortabatur impavidus, imò ut de suo ad Deum transitu lętarentur, dulcissimis monebat verbis; filii autem, ne parentem ad Cælos adeuntem contristarent, factâ sibi vi, lacrymas continebant, sed fletus causam refricantes, futuram scilicet sui orbitatem sublato parente, in lacrymas vehementiùs agebantur.

Tandem Ecclesiæ Sacramentis ritè susceptis, quo potuit conatu erectus in genua, Christi Imaginem Crucifixi sibi ad oculos applicavit, eamque ita tenens repentè in extasim raptus est: paulò post sibi redditus, genibus adhuc flexis existens, cecinit versum: *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in Domum Domini ibimus*; & manu Fratribus benedicens, eos ita affatus est: *Fratres mei non videtis Sanctissimam Trinitatem, & Dominam meam glorioſissimam Virginem Mariam, & S. Ioannem Evangelistam?* his dictis, adhuc in genua provolutus, relicto humani corporis ergastulo, migravit in Cælum, quem Sancta Theresia longè distans ab Oppido de Arenas, ubi Petrus decesserat, eodem penè, quo objerat momento, dum intentam oculorum aciem in Cæ-

lum defixam teneret, vidit recto, & lucido tramite Cæli Regna conscendere, sibi dicentem : *Pergo ad æternam Gloriam*. Tantâ igitur visione congaudens S. Theresia, eam Sororibus illicò patefecit, quæ ingenti gaudio perfusæ in hymnis, & laudibus Omnipotenti Deo gratias egerunt. Octavo post die nuncius accessit, affirmans, eo ipso momento temporis Petrum obiisse, quo Theresia ejus in Cælum ascensum cognoverat, die scilicet decimâ octavâ Octobris, anno millesimo quingẽtesimo sexagesimo secundo. Ita Dei Servus fidelis, & prudens mortem pretiosam obiit in conspectu Domini, & dignam laborum suorum mercedem recepit ; per ignem charitatis, & aquam mortificationis advectus in refrigerium gloriæ, hoc est in gaudium Domini, immarcescibili gloriâ donatus.

Bis posteà per quietem apparuit oranti S. Theresiæ, (ut ipsa testatur) plenus immensâ gloriâ, & radiis purissimæ lucis circumfusus, eique dixit : *O benedicta Pœnitentia, quæ tantum meruit habere præmium* ; ac iterum coram eo Christus inquit : *Nihil pet es à me nomine Fratris Petri, quod ego tibi non concedam* : quodve experientiâ à se comprobatum esse fatetur ipsa Theresia.

Defuncti parentis venerabile corpus in Ecclesiâ S. Andreæ de Arenas Fratres recondunt ; crebrescente verò famâ illius sanctitatis, & venerationis, necnon multorum miraculorum, editis super his processibus auctoritate Ordinariâ, & Apostolicâ, à die tertiâ Iunii anni sexcentesimi decimiseptimi supra mil-

milleſimum ad quintam Martii milleſimi ſexcenteſimi vigeſimi ſecundi dilata eſt ſuprema Cauſæ periodus.

Tunc enim pronunciatum fuit, quandocunque poſſe ad ſolemnem Servi Dei Canonizationem tutò deveniri, ex quo præter probatam vitæ ſanctitatem, & populorum frequentiam ad ejus ſepulchrum, de virtutibus univerſis in gradu heroico pleniſſimè conſtaret: & inter innumera ex allatis prodigiis, tria in vitâ, & tredecim poſt mortem miracula, Petri interceſſione à Deo patrata, æquè probationibus redundarent, nempe

Cum ſemel Petrus, dimiſſo ſocio adversâ valetudine laborante, pergens ad Conventum de *Algarrobillas* ex Oppido *Portezuelo* iter proſequeretur, inter denſas noctis tenebras pervenit ad ripam fluminis Tagi, adeò tunc multiplici aquarum alluvione tumentis, & rapidi, ut vix cymba tranſiri poſſet; Divinâ nihilominùs ope imploratâ, fluvium ingreſſus, ſolidas invenit, & calcavit aquas, & alteram attingens ripam gratias Deo referre non deſtitit.

In horto Conventus Sanctæ Mariæ *del Pedroſo*, ob debilitatem innixus baculo, Fratres conquerentes audivit, quòd ficulneis carerent; Petrus baculum aridum, quo diu uſus erat, terræ infixit, & ecce virentem ſtatim crevit in ficulneam, quæ fructus adhuc profert multis languoribus ſalutares.

A Civitate Abulæ ad Conventum de Arenas rediturus, montem conſcendit dictum *Puerto del Pico*,

cumque

cumque verticem illius attigiſſet, & copiosè ningeret, Sol occubuit, quare viam non videns, nec certam quà tenderet ſemitam inveniens, dirutam domum tecto prorſus carentem ingreditur, ibi Divinam opem invocat, & nix confeſtim in aëre pendula novum Tabernaculi genus artificiosâ quâdam concameratione compoſuit, qua Petrus, ne ſubmergeretur, obtegebatur.

Et hæc in vitâ; poſt mortem verò

Alphonſus Sanchez faber lignarius incola Oppidi *de las Quebas* Abulenſis Diœceſis, fracto cruri integrando cum jam humana remedia deeſſent, ad ſepulchrum Petri recurrens, momento gratiam ſanitatis obtinuit.

Maria de Paramo Toleti exitiali morbo laborans, à Medicis deſperata, bibit ex aquâ Reliquiarum Petri contactu ſacrâ, & ſalutari, & dicto citiùs receſsit ab eâ morbus & ægritudo.

Maria Velaſquez vidua Oppidi de Arenas gravi admodum febri laborabat, & Sacramento jam extremæ Vnctionis munita ad mortem ſe comparabat; Petri opem expoſcit, & continuò è lecto ſana & ſalva ſurrexit.

Franciſcus Ramirez puer ſexennis ejuſdem Oppidi de Arenas cruribus contractus, oleo lampadis lucentis ante Petri ſepulchrum inungitur, & repentè ſanatur.

Iſabella Gonzales incola ejuſdem Oppidi de Arenas eryſipelate laborans, tacto fune, quo ſe cingebat Petrus, tumorem illicò, & lippitudinem oculorum abegit.

Cæ-

Cæcilia Velaſquez Oppidi de *Monbeltran* oculorum morbo novem menſium affecta, & jam penè cœca, capite vix immiſſo in Petri ſepulchrum, perfectè vidit.

Eliſabetha à Fonſecâ diutinam cordis palpitationem per biennium paſſa, Matriti ſpopondit ſe Petri ſepulchrum piè inviſuram; vix votum emiſerat, cùm quievit, & morbus receſſit.

Balthaſſar Rodriguez puer ſexennis, fracto utroque latere, & defluentibus inteſtinis penè mortuus decumbens, novendiales ad ſepulchrum Petri preces devovit, ut mortem evaderet, & die ultimâ ad ſepulchrum ſe ſanum reperit & benè valentem.

Maria Alvarez de Soto, vix tacto baculo Petri, à dolore & tumore manus liberatur.

Franciſca Martinez Oppidi de *Monbeltran* triennio claudicans, fracto pede, jam deſperatâ ſalute, genibus & manibus reptans pergit ad Petri ſepulchrum, ejusque ope imploratâ, ſano & ſolido pede domum læta repetit.

Bartholomæus Garzia ex Oppido Sanctæ Crucis utrâque aure ſurdus, immiſsâ in aures aquâ, Petri Reliquiarum contactu ſalutari, deinceps perfectè audivit.

Iſabella Gonzales à tribus menſibus cœca, lotis oculis aquâ ſalutari prædictâ, momento viſum recuperat.

Ioannes puer bimus fœdo apoſtemate in genu dextro affectus, applicatis ſibi faſciis aquâ prædictâ madefactis, repentè ſanatur.

Pro-

Proinde ſanct. mem. Greg. XV. Literis in formâ Brevis, datis die decimâ octavâ Aprilis ejuſdem anni milleſimi ſexcenteſimi vigeſimi ſecundi, Dei ſervum Beati titulo inſignivit, & de eo uti de Confeſſore non Pontifice ab univerſo Ordine Minoris Obſervantiæ Miſſam celebrari,& Officium recitari poſſe concesſit. In Oppido autem de Alcantarâ, ubi natus, & in Oppido de Arenas,ubi mortuus, & conditus eſt Petrus, tum Secularibus, tum Regularibus parem facultatem attribuit.

Edita ſubinde fuerunt nova Decreta à ſanct. memor. Vrbano Octavo, quorum tenore ritè ſervato, confectisq;novis proceſsibus, die octavâ Martii anni ſexcenteſimi quinquageſimi ſupra milleſimum, percrebreſcentia famæ ſanctitatis, & venerationis, necnon duo recèns patrata miracula comprobata fuerunt, nempe

Andreæ Valez fabri ferrarii ex Oppido *Lanzaita* cruribus, pedibusque attracti, qui aliorum manibus vectus ad Beati ſepulchrum, inde pedibus propriis liber domum remeavit; &

Balthaſarris de Mendietâ pueri octennis, à nativitate cruribus & pedibus debilis, qui per matrem ſuam B. Petro impensè commendatus, integris, ſolidisque pedibus, & cruribus momento ſurrexit.

Hæc ſunt, Beatiſſime Pater, pauca quædam ex innumeris prodigiis à Dei Servo editis,quæ Sacrorum Rituum Congregatio ſerio & maturo examine expendit, quò jamdiu optatum ab univerſæ Eccleſiæ fidelibus Canonizationis beneficium, ad magnam

gnam Dei gloriam,& immortale Beati decus & ornamentum obtineri posſit. Quis enim cuncta enumeret? Tot, tantaque pasſim patrantur, ut jam admiratio in uſum veluti & conſuetudinem tranſierit, amiſeritque nomen prodigii, quod quotidie fieri videtur. Id abundè teſtatur illius tumulus, in quo non tam ipſe ſaxo conditur ſepulchrali, quàm per beneficia proditur, & illuſtratur: teſtantur populi, qui ad illum quaſi ad communem felicitatis theſaurum, & publicam ſalutis officinam frequentes accurrunt, & jam Deo fruentis auxilium implorant, haud ignari quanto, & quàm potenti apud Deum interceſſore ad beneficia obtinenda utantur.

Ejus itaque virtus immortalitate digna hunc exigit honorem, ne ab hominum oculis ita erepta videatur, quin rediviva ubique in ejus cultu perennet, & ſuperſit; & quam non licuit hactenus niſi limitatis honoribus venerari, eam liceat in poſterum aris publicis, & ſacris ſolemnibus univerſim percolere, & celebrare. Dilata enim res eſt ultra ſupplicantium vota, ſed eò tandem perducta,ut quantum mœroris longa mora jam attulit, tantum hodie gaudii, impoſito eidem feliciſſimo fine, ſingularis tua benignitas reſtituat: prout humillimis, ac repetitis obſecrationibus Sanctitatem Veſtram rogant Hiſpaniarum Rex Catholicus,& cum Clero Hiſpaniarum & Civitatibus Regnorum, Caſtellæ, & Legionis, Dux Sabaudiæ, aliique Catholici Principes, & Vniverſus Ordo S. Franciſci.

Pont. vota exquirit super canoniz. B. Petri.

HAEC cùm ſummâ omnium attentione, prout rei gravitas poſtulabat, audita eſſent, nec ſine admiratione excepta, maximè ob rigidiſſimum, quem uſque ad extremum vitæ ſpiritum ſervavit, vivendi modum: Sanctiſſimus tum à Conſultoribus, tum à Cardinalibus ſententias requiſivit, videlicet: An tutò procedi poſſet ad ſolemnem B. PETRI Canonizationem? qui omnes unanimi conſenſu, & concordibus ſuffragiis cenſuerunt, B. PETRVM ob egregiam vitæ ſanctimoniam, prodigiorum multitudinem, & miraculorum præſtantiam, Sanctorum catalogo adſcribi poſſe. Illa proinde eodem prorsùs, quo lata ſunt, ordine, à recentioribus & inferioribus incipiendo, hîc referre operæpretium erit.

F. Andreas Lao Carmelita.

Vota Dom. Cõſultorum

Beatus Petrus de Alcantarâ S. Franciſci Aſſiſinatis filius, ſimillima Seraphici Patris imago; alius à Patre, idemque cum eo; Idem ſpiritu, alius corpore. Vterque arſit Seraphicus, neuter non virgo, quilibet Evangelicæ paupertatis propagator, propugnator eximius. De virtute in virtutem gradientes ad perfectionis culmen conſenſu pertigere unanimi, votis concordibus, niſi quòd admirabili potiùs, quàm imitabili æmulatione, in pœnitentiæ palæſtrâ, uter palmam præriperet, uſque ad agonem decertarint. S. Franciſcum quinis Angelus inſignivit ſtigmatibus, B. Petrum voluntas propria millenis cruentavit vulneribus. Sanctorum itaque faſtis, Te decernente, Beatiſime Pater, adſcribatur, qui Regnum Cœlorum rapuit violentus. *D. Ioan-*

D. Ioannes Bona Abbas Generalis Monachorum Reformatorum S. Bernardi.

Beatus Petrus de Alcantarâ ſuæ virtuti coævus vitam à ſanctitate auſpicatus eſt. Mundum enim execratus, priuſquam agnoſceret, ætatem moribus antevertit, in pueritiâ adultus. Arctam Minorum regulam profeſſus, arctiorem reliquit, quàm invenit. Senſuum, & corporis miniſterio vix utebatur, niſi ut poſſet pro Deo pati. Martyrem ſe ipſe fecit, qui in pœnis & opprobriis ſufferendis nunquam defecit. Vitam ſuam miraculis, miracula virtutibus illuſtravit; ſed cùm multa admiranda patrarit, nihil ipſo mirabilius, qui in terris poſitus, terris ereptus, cœli ſemper incola fuit. Aequum igitur cenſeo, Beatiſſime Pater, ut Sanctorum faſtis, Te decernente, adſcribatur, qui Sanctorum gloriam, tot ſuffragantibus meritis, adeptus eſt.

F. Ioannes Auguſtinus à Nativitate Carmelita Diſcalceatus.

Beatiſſime Pater. Regnum Cælorum, quod vim patitur, & à violentis rapitur, B. Petrus de Alcantarâ, ſibi vim inferens, carnem cum concupiſcentiis edomans, in jejuniis multis, in frigore, & nuditate, militans obſedit, emeritus occupavit. Ad militares excubias ſemper impiger Petrus, non opus habuit Galli cantu, ut evigilaret ad pugnam; ſed ſuſpiriis, & orationibus inceſſanter addictus, ſi quan-

do ſomnus obreperet, vix paululùm capite leviter inclinato ad ramulum parieti adfixum, magis excubans, quàm dormiens; certè glorioſiùs dormiens, quàm alii vigilent. Præliator invictus, & fortis domitor corporis ſui; dignus planè, qui rapidos Tagi exundantis vortices, non lubrico titubans veſtigio, ſed greſſu calcaret impavido, ac pede triũphali, quo fluxas ſenſuum illecebras, & blandimenta calcaverat. Adſtipulatur & nivium famulatus, quæ Petro iter agente, dum è Cælo copiosè defluerent, in aëre penſiles, ac velut extaſim paſſæ, ne extaticum Athletam obruerent, extenſo quaſi niveo tentorio, obumbrarunt ſuper caput ejus in die belli. Tantum igitur Heroem, Chriſtianâ fortitudine conſpicuum, miraculis comprobatum, ſacris aris admovendum cenſeo; & glorior me, B. Pater, matris meæ Thereſiæ inhærere ſuffragio, cui idem Petrus paulò poſt obitum ingenti gloriâ circumfuſus effulſit, affirmans ſe Regnum Cælorum, admotis pœnitentiæ machinis diu obſeſſum, conſummato jam certamine feliciter conſequutum.

Martinus de Eſparzâ Societatis Ieſu.

Oravit B. Petrus de Alcantarâ ſupra modum conditionis humanæ, tum contemplandi aſſiduitate, tum maximè fervore, ac raptu mentis in Deum. Subegit ſpiritui ſenſus, viresque corporis omnes, maceratione, quæ videri poſſet tyrannica, niſi fuiſſet æmula Chriſti Crucifixi, ex charitate perfectâ.

Hinc

Hinc virtutes reliquas theologicas, & morales assequutus est in gradu heroico, earumque uberes fructus propagavit in proximos, emendatione, & ad evangelicam perfectionem promotione, per se; & mirabili, ac fœcundâ plurium latè populorum conversione ad fidem catholicam, per alumnos suos. Sinceritatem, ac sublimitatem istorum Spiritus Sancti donorum illustravit omnipotens, & misericors Deus, confirmavitque pluribus, & claris miraculis, atque Sanctissimæ Virginis Theresiæ luculento testimonio, & revelatione. E re itaque Christianâ fuerit, ut Sanctitas Vestra Virum usque adeò dilectum Deo, & tam grande virtutum exemplar, erigat super aras, ad gloriam Creatoris, ad documentum fidelium, ad decus, & incitamentum speciale familiæ in vineâ Domini utilissimæ.

Carolus Emanuël Vizzanius Assessor SS. Inquisitionis.

Egregia, quæ modò audivimus, pœnitentiæ, contemplationis, ac effusæ erga Deum & homines charitatis exempla, humanæ virtutis modum supergressa, haud dubiè inhabitantis in Petro, dum inter homines ageret, Spiritus Sancti (ut cum Bernardo loquar) fuerunt argumenta. Eumdem inter Cælites inde receptum, nequaquam, ut vana Quiritum superstitio consueverat, empto didicimus testimonio; sed Theresiæ Virginis sanctissimæ certissimâ fide. Hoc idem cælestia jampridem, Gregorio XV. interprete, oracula testata sunt, & adhuc

Vota Domin. Prælatorũ S. Congreg. Cõsultor.

te-

teſtari non deſinunt continuatâ magnitudine ſignorum, quæ Cæli reſponſa, & Verbi æterni verba Hieronymus, & Auguſtinus appellant. Quapropter ad ſolemnem ejuſdem Petri Canonizationem deveniri poſſe cenſerem: Nec enim videntur ſine ſummo Chriſtiani populi emolumento futuri ſolemnes Eccleſiæ plauſus erga hominem, qui arctiſſimam vitæ ſemitam proſequutus, inſigni documento eſſe poteſt, quàm abſurda ſit eorum ratio, qui laxatis ſenſuum habenis, regnum Dei facilè pervium eſſe, hoc tempore contendunt.

Franciſcus Maria Phœbeus Sacrorum Rituum Congregationi à Secretis.

Beatiſſime Pater. Quòd cenſeam, tutò poſſe procedi ad ſolemnem Canonizationem Beati Petri de Alcantarâ, urget in primis tum admirabilis animi, & corporis mortificatio, tum penè incredibilis vitæ illius auſteritas, quam virtutes reliquæ conſequi ſolent, Leone Magno teſtante: *Virtuti cibum ſemper fuiſſe jejunium, ab eoque prodire rationabiles virtutes: ac per voluntarias afflictiones, carnem concupiſcentiis mori, ſpiritum virtutibus innovari.* Virtutes verò heroicæ conſtituunt virum undequaque perfectum, Angelis ſimilem, hominibus venerabilem, Deo charum, ac proinde laudibus, & honoribus dignum, juxta illud Eccleſiaſtici: *Laudemus Viros glorioſos, dominantes in poteſtatibus ſuis, Viros magnâ virtute præditos*; qualem extitiſſe Beatum Petrum,

ex

ex Actis S. Congregationis jam plenisſimè conſtitit, idque confirmatum fuit ſequentibus ſignis, rarisque prodigiis. Liquet itaque, non defuiſſe Petro coronam juſtitiæ, quam illi in Cælis reddidit Dominus juſtus Iudex: nec defuturam confido coronidem gloriæ accidentalis in terris, quoniam tu benedices Iuſto, Beatisſime Pater.

Petrus Franciſcus de Rubeis Sacræ Fidei Promotor.

Beatisſime Pater, crederem tutò poſſe per Sanctitatem Veſtram deveniri ad ſolemnem Canonizationem Parentis tercentum Cœnobiorum, & ampliùs Seraphicæ familiæ in Hiſpaniis, ac Indiis nativæ puritati ab ipſo reſtitutæ: Quem Deus bis ſicco pede ſupra turgidos fluvios traducendo, ne in fluentes aquarum copias plantas impingeret, hoc ingenti teſtimonio à fluxis humanarum rerum illecebris declaravit immunem: Quemque flexis genibus ante Crucis imaginem poſt extaſim canentem: *Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus*, ceu Amoris ſagittam, è Charitatis arcu emiſſam, corde ſuo excepit: & cujus gloriam tuba oris glorioſa Thereſiæ Virginis militanti Eccleſiæ primò patefecit.

F. Raymundus Capiſuccus Ord. Prædicatorum, Sac. Palatii Magiſter.

Beatisſime Pater. Beati Petri de Alcantarâ virtutes,

tutes, ac merita adeò præclara sunt, ac sublimia, ut illorum manifestatio peropportuna censenda sit ad amplificandum divinum cultum, & ad Christiani nominis gloriam promovendam. Quapropter eundem Beatum Petrum, ut absolutissimæ perfectionis exemplar Orbi universo, solemni Canonizationis ritu, à Sanctitate Vestrâ proponi posse censeo; cum etiam par sit cœlestes honores illi decernere, qui terrenam, humanamque gloriam altè despexit.

Leo Verospius Sacræ Rotæ Auditor.

Dignum sanè censeo, Beatissime Pater, ut Beatus Petrus ab Alcantarâ inter cælestes Cives, ac domesticos Dei in regione vivorum jure merito à Sanctitate Vestrâ adscribatur. Is enim tanquam virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, videlicet supra mortalitatis omne fastigium evectus, uti sub contempto demissionis vexillo, strenuo invictoque animo continenter bellum gessit adversùs humani generis hostem: ita ab eodem Christi Regis, ac Imperatoris nostri labaro, de eodemmet hoste glorioſiùs triumphavit. Triumphavit inquam, & eo glorioſiùs, quòd humilitatem paupertate metitus, animum per æquè, ac artus Deo servitia coëgit aptiora, ut ipsos reliquæ vitæ annos unâ eâdemque tunicâ uteretur. Verùm ne singula percurram ejus ornamenta virtutum, ne aliqua prætermittam, in solâ charitate immorari licet, ut complectar

plectar omnia. Ea enim, uti vinculum est perfectionis, ita illum, Sponsi fasciculum, à Sponsâ dilectum, constituit, qui quantùm in omni charismatũ genere præstiterit, quàm bonus Christi odor fuerit Petrus, ostendit; nam quo Dei amore conflagrabat, hoc suos optabat exardescere. Ergo mirum, quantum perpessus & laborum, & vigiliarum, & iniuriarum, ut perfectam sui Ordinis disciplinam pristinæ faciei redderet. Hinc ultimum quasi subiit capitis discrimen, cum in conclave capituli, ut dicitur, inopinatò concluſus, malè, ac fermè hostiliter accipiendus esset, ni hominem modò expoliatum ad cædem, à se in corpore acerbiùs excruciatum, & in se quasi sævientem insolito, horribilique genere pœnarum agnovissent; Et ecce, qui furere in hominem expetierant, illico eo aspectu commoti, vel potiùs conterriti, fouere, adeòque favere, & parere. Diceres, ex re abiisse retrorsum, non ex verbo; quamquam eâdem in re, & in verbo virtus operata est, sed hîc feliciùs, quàm olim in horto, quia nimirum Apostoli oraculo, charitas uti omnia suffert, & substinet, sic & omnia vincit.

Carolus Cerrus Sacræ Rotæ Decanus.

Beatissime Pater. Admirabilem adeò reddiderunt B. Petrum de Alcantarâ, summa paupertas, eximia humilitas, ardens charitas, mundi contemptus, ut inventus sine omni maculâ, probatus, atque perfectus, cuius stabilita sunt bona in Domino, gloriam certò

dici potuerit adeptus æternam. Inde autem mirabilis, quia mirabilia planè fecit in vita sua; arduum enim Religiosæ vitæ propositum susceptum diluculò, diù insigni vitæ integritate, atque innocentiâ servavit. Ieiunjis, corporis castigationibus, cellulæ anguſtjis, noctu penè insomnis, die hærentibus humi oculis, aut penitùs clausis, quæ sunt mundi, omninò ignoravit, ut cæleſtia sciret. Hæc omnia crebris decorata miraculis mirati sunt omnes summis etiam dignitatibus præfulgentes, solus ipse despexit, qui dum altissimæ, in terris, fundamenta iecit humilitatis, sublimioris sanctitatis in cælis sibi ædificium erexit; ubi nunc commorari, factum Civem Sanctorum, & Domesticum Dei, sacro Sanctitatis Vestræ oraculo, meritò declarari posse, censerem.

Galeatius Marescottus, Protonotarius Apostolicus.

Tuum est (Beatissime Pater) cæleſtes cives nobis indicare, qui tuorum altitudine montium sidera cernis. Tamen ut injunctum munus adimpleam, Beatum Petrum de Alcantarâ inter Sanctos adscribendum esse censeo. Enimverò quis non dixerit talem eum, qui cæleſti adhuc sarcinâ tentus, corde tamen Cælo semper aderat? Nec mirum, si quondam inter parietem, & organum raptus conspicitur; quia Cæleſtis Vrbis petra pariete firmior Petrus aderat, & organi respuit melodiam, quia divina canebat Alcantara, ac Moysis æmulator, ma-

manibus ad Cælum elatis, dæmonis perfidiam enervabat: Quòd si hic sensum comprimit extasi, dæmonem oratione fugat, Orbem cruentatis, ac nudis calcat pedibus, ut victor existat; meritò dignum sanctâ corollâ Sanctitas Tua proferet.

Hieronymus Episc. Papiensis, Sacræ Rotæ Locumtenens.

Quamplurima, Beatissime Pater, à Beato Petro de Alcantarâ, ut Divi Francisci restitueretur Institutum, constructa Cœnobia, zelantissimæ illius solicitudinis nobis præbent monumenta. Severissima jejunia, horrida, atque extrema paupertas, ferrea, ac pungentia cilicia, diræ atque frequentes verberationes, aliique sævissimi carnis excruciatus, insignis pœnitentiæ præfigurant exemplar. Et nulla orationis intermissio, arctissima cum Deo conjunctio, ac assidua animæ suæ in Cælis conversatio, Seraphicæ charitatis reddunt testimonium. Quapropter cum tam multa humanas excedentia vires in hoc Beato eluceant præclara facinora, sublimesq; virtutes, tantum Heroem universis Christi fidelibus, ut admiretur, & colatur, cum imitari haud facile sit, sacris aris imponendum censeo.

F. Ambrosius Landuccius, Episcopus Porphyriensis, Sacrarii Apostolici Præfectus.

Beatissime Pater. Fratris Petri de Alcantarâ Seraphici ordinis inclitæ prolis vita, à suo ipsius met principio sanè admirabilis extitit; etenim etsi dum sistebat in terrâ, Cælum non aspiceret, mente ta-

men à Cælo non aberat. Ipſe benè in viâ Dei, & virtutum ambulare incœpit, bonum certamen certavit, curſum conſummavit, fidem ſervavit, & uſque in finem, ut per Proceſſus, & in genere, & in ſpecie juridicè compilatos palàm apparet, perſeveravit. Quare ei, ut mihi videtur, deneganda minimè eſt, mediante Canonizatione, corona juſtitiæ in terris, dum juſtus Iudex, jam eum ſanctitate clarum, miraculis inſignem coronaverit in Cælis.

Vota Domin. Cardin. Sac. Congreg.

POST audita Conſultorum ſuffragia, cùm illi de more è Congregatione exiiſſent; Eminentiſſimi Cardinales ſua quoque vota, ſervato ordine, tulerunt, in hunc modum.

Iulius Epiſcopus Sabinenſis Cardinalis Sacchettus.

Beatiſſime Pater. Quæ, magni ponderis, licèt pauca ex multis, excerpta, longâ oratione Sanctitati Veſtræ expoſui, de virtutibus in gradu heroico, & miraculis inſignibus Beati Petri de Alcantarâ, non ſolùm ſuadent, ſed cogunt ad Votum, ut gloriæ Sanctitatis Veſtræ totiuſque Orbis utilitati conducat, hunc Beatum, Religionis Seraphicæ Reformatorem, & Parentem in Sanctorum numerum referre.

Martius Epiſcopus Albanenſis Cardinalis Ginettus.

Beatiſſime Pater. Beati Petri de Alcantarâ heroica geſta, Seraphico in ordine, Seraphim redolent

lent charitatem: eius oratio iugis ad miraculum, pœnitentia verò arctiſſima fuit ad prodigium: eiuſque fama virtutum, reformatione ſtrictioris obſervantiæ, in omnem terram, Iaponiam uſque, Synas, & in fines novi Orbis diffuſa eſt. Dignus ergo videtur, Beatiſſime Pater, quem Sanctitas Veſtra Sanctorum faſtis adſcribat, ut quem in carne ambulantem, non ſecundùm carnem militantem vidit, triumphantem in Cœlis noſtra in terris veneretur Eccleſia.

Antonius Epiſcopus Tuſculanus Card. Barberinus.

Beati Petri de Alcantarâ virtutes, & miraculorum copiam humili veneratus obtutu, quid in iis potiùs admirer, vix diſcerno, dum ab incunabulis ſapientiâ, & gratiâ crevit apud Deum, & apud homines, baptiſmalis innocentiæ fideliſſimus cuſtos; Prima ineuntis ætatis crepuſcula radiis illuſtravit divinarum contemplationum. Adoleſcens dum literas diſceret, mores docebat; quique eruditione vincebat omnes, humilitate cedebat ſingulis. Quantò eum cæleſtium chariſmatum exuberantia attollebat ſublimiùs, tantò in abyſſum ſui ipſius nihili demergebatur profundiùs. Maligno ſupplantaturus mundo, in ordine Seraphico, concupiſcentiam carnis, concupiſcentiam oculorum, & ſuperbiam vitæ, inviolabili virginitatis, paupertatis, & humilitatis libro redemit. Te igitur decernente, Beatiſſime Pater, ſacris Aris admoveatur, qui dum viveret, non

ſumens

ſumens ſibi honorem, ſed vocatus à Deo, tanquam Aaron, regale Sacerdotium accipere detrectavit, uſquedum ad illud Superiorum adigeretur imperio.

Marcus Antonius tituli S. Mariæ de Pace Cardinalis Franciottus.

Beatus Petrus de Alcantarâ (Beatiſſime Pater) Vir ille fuit, qui, cum extaticam potiùs, quàm humanam duxerit vitam, Angelicam in terris quodammodò naturam nactus fuiſſe videtur. Adeò enim omnes ætatis ſuæ partes conſumpſit, ut ipſum, ob ſingularem Religionis cultum, inſignia pietatis exempla, maximamque & penè incredibilem univerſæ vitæ auſteritatem, admirabilium operum prodigijs iure merito à Deo ornatum fuiſſe, dijudicandum ſit; nec mirum quidem; Cùm enim Beatus Vir eximia Seraphici Franciſci Parentis ſui veſtigia totis ſibi viribus calcanda propoſuerit, qui Ieſu Chriſti Domini noſtri vivum in terris extitit ſimulacrũ, æquum eſſe videtur, ut earumdem virtutum præſidio ſuffultus, paribus ſanctitatis, & miraculorum portentis à ſummo rerum factore condecoratus intelligatur. Quamobrem iuſtiſſimum eſſe opinor, ut Vir Dei glorioſiſſimus, qui Eccleſiam Sanctam mortalis vitæ ſanctimoniâ verè eximiâ plurimùm adiuvit, atque illuſtravit, immortalis quoque gloriæ triumpho, infallibili Sanctitatis Tuæ iudicio imperante, ad omnipotentis Dei gloriam, militantis Eccleſiæ præſidium, & decus, Tuique non exi-

exiguam laudem veneretur. Quod ut feliciter ſuo peragatur tempore, illud nunc decernendum, deliberandumque eſſe cenſeo, quod omnis profectò ſuadet ratio.

Cæſar tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum Cardinalis Fachenettus.

Et virtutum heroicarum, quibus Petrus de Alcantarâ elucebat, præſtantiâ, & crebrâ, inſigniq; miraculorum patratione, innumerabilique cœnobiorum breviſſimi temporis intervallo fundatione, generoſoque ſui nominis contemptu, dignus omninò videtur, ut Spiritu Sancto Duce illum Sanctorum virorum numero adiungas, Beatiſſime Pater. Nam virtutes, quæ Petrum mirificè exornarunt, & miracula, quæ Petro exorante, & fines naturæ ſuperando, aut contra ejuſdem naturæ ingenium vimque agendo Deus edidit, tanti ponderis ſunt, ut & virtutes in gradu heroico Petrum poſſediſſe, & exercuiſſe conſtet, & miraculorum gratiâ ad ſtuporem claruiſſe, omni etiam Iuris perpensâ ratione, Summorumque Pontificum decretis, legibuſque examinatis, jiſque ſervatis, planè innoteſcat. Veræ paupertatis fuit cultor egregius, & univerſa Hiſpaniarum Regna, quanta quanta ſunt, regioneſque finitimæ, & diſſitæ admirabilem tanti Viri coluerunt, indieſque magis excolunt religionem, pietatem, & in proximos eximiam charitatem.

Nicolaus

Nicolaus tituli S. Mariæ Angelorum Cardinalis Ludoviſius.

Beatiſſime Pater. Vitæ innocentia B. Petri de Alcantarâ, cum admirabili auſteritate, cæterisque heroicis virtutibus conjuncta: zelus, & ardor regularis diſciplinæ revocandæ, tum in ſuam, tum etiam in alias Religioſorum familias: mors vitæ ſanctiſſimè actæ conſentanea, & verè pretioſa in conſpectu Domini: duo miracula ab Innocentio X. felicis recordationis, decreto approbata, ſuadere videntur, ut, ſi Sanctitati Veſtræ placuerit, procedi poſſit ad ejus ſolemnem Canonizationem.

Federicus tituli S. Anaſtaſiæ Cardinalis Sfortia.

Beatum Petrum de Alcantarâ, veræ aſſertorem paupertatis, divinis opibus Divos inter gaudere non dubito; quem viventem cæleſtis ad æthera tuliſſet ſpiritus, ni pondus ingratum emaciati licèt, ac propè nudi corporis obſtitiſſet; quem vitâ functum rectiori cælo advectum tramite Thereſia conſpexit, vetuſta, novaque confirmavere miracula. Itaque, lætis ſanctitatis vocibus Beati Petri meritis plaudat Sanctitas Veſtra; ipſi tabernaculum, quod Abulenſes eidem ſtatuere nives, decernens. Sic parabit gloriam Deo, ipſi pauperrimæ præmium humilitatis, Orbi, auctâ devotione, potentius patrocinium.

Baccius tituli Sanctorum Nerei & Achillei Cardinalis Aldobrandinus.

Duas ad Cœlum vias, Beatiſſime Pater, eloquia ſacra penè ubique demonſtrant, actionem ſcilicet, & contemplationem. Harum alteram Virum Beatiſſimum Thomã de Villanouâ injiſſe ſatis perſpectum eſt; in miniſterium enim Dominici gregis ſe ſe miſſum agnovit; quamobrem iure optimo Sanctorum numero adſcriptum iis, qui præſunt in Eccleſiâ Dei, tanquam nobile exemplum propoſuit Sanctitas Veſtra. Alteram verò Beatum Petrum de Alcantarâ ſibi munjiſſe nemo dubitaverit, qui vitam ejus vigiliis & macerationibus aſperam, ſed cœleſtibus meditationibus ſuavem inſpexerit, & perpetuam quandam, ut ità dixerim, cum Deo conjunctionem. Itaque & hunc Virum Sanctiſſimum iis præſertim, qui rerum Divinarum contemplationi ſtudent, proponendum, & ſacris Aris admouendum exiſtimaverim.

Flavius tituli S. Mariæ de Populo Cardinalis Chiſius.

Multa ſunt, Beatiſſime Pater, quæ memoriam B. Petri de Alcantarâ inter beatos Paradiſi Cives jampridem agniti, ſolemni Sanctorum Confeſſorum cultu à Sanctitate Veſtra conſecrandum adhortantur. Sed precipuè admirabile Viri Dei precandi, & cæleſtia meditandi ſtudium; qua in re virtus ejus

ſupra omnem humanæ magnitudinis modum eximia fuit,& prorſus digna,quam ſub obſcuro vulgaris fortunæ modio latere diutiùs non ſinatur, ſed juxtà præceptum Euangelicum, tamquam lucerna in ſublimi loco poſita luceat omnibus in domo Dei verſantibus, ut ii, quod ab Eccleſia celebrari vident, ad imitandum ſibi propoſitum intelligant; præſertim hoc fauſtiſſimo conciliatæ nuper inter fideles concordiæ tempore, quo ſi unquam aliàs armanda eſt cœleſtibus hiſce telis Eccleſiæ militia, jugiter illa quidem adversùs diabolum, mundique & carnis delicias in acie ſtatura.

Iulius tit. S. Xiſti Cardinalis Roſpiglioſius.

Immenſam attulit lucem uniuerſo Seraphico Ordini ſplendor B. Petri de Alcantarâ,qui non ſolùm oratione, obedientiâ, corporis afflictationibus, cœteriſque virtutibus intra anguſta cellæ fines maximè excelluit, ſed quod præſtantiſſimum eſt,præcipuo accenſus in Deum zelo, in proximos charitate, illud ſibi unicè propoſuit, ut ſtrictiorem Sancti Franciſci Regulam, & omnimodam paupertatem in ſuum Ordinem introduceret: idque per innumeros labores, injurias, perſecutiones, Altiſſimo adiuvante, aſſecutus eſt; non tantùm enim in Hiſpaniarum Regnis quamplurima inſtruxit Cœnobia, quæ illum adhuc auctorem agnoſcunt, & venerantur, ſed aduſque Indias Occidentales, ad Inſulas Philippinas, ad Chinenſes regiones, ad Iaponiæ

poniæ Imperium, ardens ipsius pietas penetravit, & novas Religionis Provincias ubique illis in partibus erexit, omnes primævæ disciplinæ perfectionem sedulò custodientes. Quo præclaro Reformationis exemplo, tum etiam ope, & consilio ad similes fundandas in aliis quoque Religiosis cœtibus familias, quæ in Domo Dei maximo sunt ornamento, idem mirificè contulit. Super tam insigni meritorum præstantiâ, cum constet de validitate, & relevãtia Processuum, & præ cæteris vel unum S. Theresiæ testimonium, quam affirmasse compertum est, visum à se Beatum Petrum inter Angelorum manus ad cœlestem gloriam evectum, firmissimum ad sempiternam tanti viri felicitatẽ asserendam possit esse fundamentum: cumque probata sit etiam post ipsius Beatificationem percrebrescentia famæ sanctitatis, & miraculorum, crederem, quandocunque Sanctitati Vestræ placuerit, ad solemnem ejus Canonizationem deveniri posse.

Raynaldus Sancti Nicolai in Carcere Tulliano Cardinalis Estensis.

Posse tutò deveniri ad solemnem Canonizationem Beati Petri de Alcantarâ mihi quoque videtur Beatissime Pater; quandoquidem post formalem Beatificationem cætera item omnia perfectè adimpleta sunt, quæ ex Pontificiis decretis in hac materiâ habentur sancita, & apparet in causâ, non solùm plenè probata fuisse miracula, ante, & post

mortem à viro Dei, illiuſque interceſſione, patrata, ſed etiam virtutum omnium, tam Theologalium, quam Cardinalium, gradus heroicus perſeueranter uſque in finem: præſertim autem perfectio verè Apoſtolica, & planè admiranda earundem, & ſignanter paupertatis, humilitatis, & diſtrictiſſimæ auſteritatis Seraphicæ in Beato hoc ita refloruit ac ſplenduit, ut in ipſo, & per ipſum fax aliis plurimis accenſa, ac prælata fuerit per orbem univerſum, qua porrò pergere imitando pariter poſſint. Enimverò qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates fulgebunt.

Paulus Aemilius Sanctæ Mariæ in Coſmedin Cardinalis Rondininus.

Beatiſſime Pater. Vita Beati Petri de Alcantarâ inter vigilias, & jejunia certè per inauditæ ſeveritatis exempla traducta: mors religiosè, ac conſtanter obita: ſignaque, & prodigia converſationem ejus inter homines comitata, & ſubſecuta, haud dubiam fidem videntur facere, excellentis cujuſdam in eo virtutis, & omne humanarum virium faſtigium ſupergreſſæ; quæ, ut modò audivimus, maximè illuſtris fuit in Euangelicâ paupertate excolendâ, eâque ad eximiam Seraphici Patris normam exigendâ. Hæc fermè ſunt, quibus Sanctitatis Veſtræ animum permotum decernere poſſe crederem illi Canonizationis gloriam in terris, cui æternam à Deo tributam Sanctiſſima Virgo Thereſia cæleſti viſo admonita teſtata eſt.

Decius

Ex relatis plenè probantur virtutes in gradu heroico, & signa B. Petri de Alcantarâ, cujus meritis, exemplo, laboribus, oratione, & optimi Ordinis institutione aucta Ecclesia, par est, ut debitum ei cultum, ac venerationem rependat. Si igitur Sanctitati Vestræ placuerit, censeo, posse procedi ad ejus Canonizationem.

ITAQVE Summus Pontifex auditis cunctorum sententiis, cum omnes eò tendere videret, quò ipse etiam valde propendebat, sequens Decretum efformari præcepit.

Abulen̄ Canonizationis Beati Petri de Alcantara.

IN Congregatione Sacrorum Rituum generali habitâ coram Sanctissimo, Eminentissimus Dominus Cardinalis Sacchettus retulit unicæ, quæ manebat, causæ post novissima Decreta sanct. mem. Vrbani Octavi numeris omnibus absolutæ, nempe Canonizationis B. Petri de Alcantarâ Seraphicæ Regulæ puritatis Restauratoris mirifici, merita, & admiranda à nativitate usque ad mortem, & post mortem Beati secuta: necnon gesta quæcumque tum ab inchoatione judicii usque ad suffragia, quibus olim die quintâ Martii anni MDCXXII. declaratum *Decr. canoniz. S. Petri.*

tum fuit, quandocunque posse tutò deveniri ad solemnem ejusdem Beati Canonizationem, tum à resumptione causæ post prælibata Decreta inclusivè usque ad declarationem crebrescentiæ famæ sanctitatis, & venerationis, necnon miraculorum post indultam venerationem, ipsius intercessione à Deo operatorum. Ipsâ autem pleniſſimâ relatione præhabitâ, præviis prætereà omnium ferè Principum Catholicorum, necnon Seraphicæ familiæ enixis, ac sæpiùs repetitis precibus, Sanctitas Sua juſſit ex integro decerni. An tutò deveniri posset ad solemnẽ B. Petri Canonizationem: Et plurimorum Theologorum, & Iurisperitorum Sacræ ejusdem Congregationis Consultorum, subinde verò Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum DD. Cardinalium Sac. Congregationi Præpoſitorum unanime ſuffragium accepit; quòd nedum inoffenſo pede procedi posſit ad ſolemnem Beati Petri Canonizationem, imò in Domino plurimùm expedire, ut diuturnæ mortificationis aſſiduus labor planè ad prodigii genus accedens, argumentum inſigne perfectiſſimæ charitatis in Deum, cum ſalubri animarum profectu ſanè admirabili, Chriſtifidelibus colendus, & imitandus omninò proponatur. Die XII. Aprilis MDCLX.

EVVLGATO hujuſmodi Decreto, Procurator pro Canonizatione B. PETRI petendâ, in Curiâ exiſtens, ad Summi Pontificis pedes in genua provolutus, Sanctitati Suæ gratias egit: ſimulque obtulit literas Catholicæ Majeſtatis, ac plurimorum Chriſtiani Orbis Principum, & Magnatum, qui humillimis precibus inſtabant, ut Sanctitas Sua actum

Inſtantiæ pro Canonizat. S. Petri.

ſolem-

ſolénis Canonizationis perficere dignaretur. Quas ejuſdem tenoris literas ſæpè repetitas iterùm elapſo biénio Sanctitati Suæ reddidit F. Gregorius à S. Bonaventurâ olim Prominiſter Provincialis, delegatus à Fratribus Diſcalceatis (ſic appellant) S. Franciſci in Regnis Hiſpaniarum ad promovendam B. PETRI Canonizationem. Verùm placuit ei, cujus eſt noſse tempora, ac momenta, ut hæc res, utpotè graviſsima, lentè, & cunctanter procederet, altoque ſepulta ſilentio, longo annorum ſpatio, maneret.

Novus Procurator canonizat. S. Petri.

Interim ſanct. mem. Alexander Septimus è vitâ excedit: & Sanctiſſimus Dominus Noſter Clemens Nonus Pontifex renunciatur.

Mori Alex. VII. aſſūptio SS. D. N. Clem. IX

In hac occaſione non deſtitit Excellentiſs. D. D. Antonius Petrus Alvarez Marchio de Aſtorgâ ampliſſimus, ac prudentiſſimus Catholici Regis apud Sedem Apoſtolicam Orator, acceptæ à majoribus pietatis cum ſanguinis claritate conjunctæ egregium præbere ſpecimen, & ſummum Regis ſui, Cleri, ac Regnorum Hiſpaniarum erga Beatum PETRVM religionis ardorem, curſu temporis minimè extinctum, ſed magis ac magis incenſum, Sanctitati Suæ oſtendere: ideòque nomine Regiæ Majeſtatis, ejuſdem Beati Canonizationem poſtulare. Et Sanctitas Sua, commendatâ ipſius Catholicæ Majeſtatis pietate, orationibus à Deo petendum eſſe reſpondit, ut ſibi vellet hac in re ſignificare, quid magis cederet in ipſius divinæ Majeſtatis gloriam, & Eccleſiæ Catholicæ bonum. Quò verò in

Orator Regis Catholi. Hiſpan. inſtat pro Canoniz. S. Petri.

prom-

promptu essent ea, quæ ad Basilicæ Vaticanæ ornatum necessaria judicabantur, si Spiritus Sancti afflatu ducta ad Canonizationis solemnia peragenda animum adjiceret, confici, pararique præcepit è serico damasceno aulæa, quibus reliquæ Basilicæ ejusdem pilæ, ac parietes vestirentur, eâ potissimùm ratione motus, quòd hujusmodi opus, ut commodè perfici posset, longum temporis spatium exigebat.

SS. mandat parari aulæa pro ornatu Basil. Vatic.

Hîc ego præterire nec possum, nec debeo raram Sanctitatis Suæ modestiam, & studium, æternitati commendandum, condendi silentii tenebris nominis sui memoriam, & gentilitii stemmatis claritatem. Voluit enim, idque gravibus verbis præcepit, ut aulæa à sanct. mem. Alexandro Septimo, pro ornatu Basilicæ parari cœpta, cum iisdem tantùm Summi Pontificis Alexandri insignibus, & stemmatibus intexta, omninò conficerentur.

Instantiæ pro Canonizat. S. Mariæ Magdal.

Intereà deferuntur literæ Majestatis Cæsareæ, Reginæ Galliarum Christianissimæ, necnon Magni Ducis, & Magnæ Ducissæ Etruriæ, unà cum precibus universi Ordinis Carmelitarum, quibus ii à Sanctissimo enixè postulabant, ut absolutis, quæ deerant in Causâ B. MARIAE MAGDALENAE de Pazzis, ad solemnem ejusdem Canonizationem devenire dignaretur.

Quamobrem inhærendo Sacræ Congregationis Decretis, declarato jam, constare de validitate Processuum super his, quæ post indultam Beatæ venerationem supervenerant, Sanctitas Sua causam prosequi, & exhibita nuper miracula examinari præcepit.

Itaque

Itaque die X. Septembris MDCLXVIII. in Congregatione Sacrorum Rituum habitâ coram eodem Sanctiſſimo, quinque de allatis miraculis poſt indultam Beatæ venerationem, prælabitâ maturâ diſcuſſione, approbata sũt. Et Sanctitas Sua accitis iterũ Cõſultoribus, tum ab iis, tum à Cardinalibus requiſivit, an tutò procedi poſſet ad ſolemnem Beatæ MARIAE MAGDALENAE Canonizationem? Et omnes concordibus ſuffragiis in affirmativam ſententiam convenerunt.

Approbãtur quinque mira cula.

Cõſult. & Card. S. Cong. vota pro canoniz. S. Mariæ Magdal.

Idcircò ſequens Decretum editum eſt.

Florentina Canonizationis B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis Ord. Beatiſs. Virginis Mariæ de Monte Carmelo.

QVAMVIS in Causâ Beatæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis reperiretur jam editum Decretum die II. Maji MDCXXVI. Poſſe quandocunq; deveniri ad ſolemnem ejuſdem Canonizationem: tamen compilatis proceſſibus ſuper Cultu exhibito auctoritate Apoſtolicâ, necnon de his, quæ poſt indultam venerationem ſupervenerunt, ad formam, & præſcriptum noviſſimorum decretorum ſanct. mem. Vrbani VIII. hisque nunc demum acriter diſcuſſis, Sacrorum Rituum Congregationi habitæ coram San-

Decr. canoniz. S. Mariæ Magdal.

 ctiſſimo

ctissimo visum fuit, Decretis hujusmodi plenissimè satisfactum fuisse, & constare de quinque miraculis ex terdecim allatis, & in discussionem adductis, videlicet de primo, & secundo continuationis incorruptionis, & fragrantiæ Corporis Beatæ, necnon de tertio, & quarto multiplicationis olei secutis in Monasterio Sanctæ Mariæ Angelorum Florentiæ, nempe anno MDCXXVI. olei inquam, in lampades plerasque infundendi, ac per octiduum arsuras in celebratione solemni Beatificationis ipsius Beatæ. Et anno MDCLIV. ex tantillo olei prædicti multiplicati in urceum ferè vacuum effusi, affixâ etiam urceo extrinsecus Imagine Beatæ, ejusque ope imploratâ, adeò ut exigua quantitas dietim multiplicata satis fuerit indigentiis Monasterii per integrum quadrimestre, nec multiplicare desierit, usquequò novi olei recollectio subsecuta esset. Eaque singula miracula prædicta ad secundum genus Sac. Congregatio retulit, septimum ad tertium genus, nempe restitutionis visus Magdalenæ Angelæ Gorinæ guttâ serenâ per biennium orbatæ, & cum primùm Beatæ opem imploraſſet, illuminatæ.

Expletis itaque singulis, quæ novissima exigunt Decreta; accitis iterum per Sanctitatem Suam Consultoribus, una omnium, Patrumque sententia fuit, quandocunque tutò deveniri posse ad solemnem Beatæ Mariæ Magdalenæ Canonizationem, juxta Ritum S. Romanæ Ecclesiæ, & Sacrorum Canonum dispositionem. Die X. Septembris MDCLXVIII.

POST hæc, cùm humillimis precibus, nomine prædictorum Principum, apud Sanctissimum iterùm

rùm atque iterùm inſtitum fuiſſet, ut Beatos PETRVM de Alcantarâ, & MARIAM MAGDALENAM de Pazzis ſolemni Canonizationis ritu in Sanctorum numerum referre dignaretur; tandem Sanctitas Sua, Deo aſpirante, eorumdem Canonizationis ſolemnia celebrare decrevit. Igitur omnia, quæ ad illam magnificè peragendam neceſſaria erant, præparari juſſit, & conſueto ordine diſponi. Eaque cura à Sanctiſſimo demandata eſt D. Phœbeo Archiepiſcopo Tarſenſi, tanquam ſacrarum cæremoniarum in aulâ Pontificiâ Præfecto, & D. Bernardino Caſalio, utriuſque Signaturæ Referendario, ac Baſilicæ Vaticanæ Canonico: qui ab anno MDCLXII. eidem Phœbeo, Archihoſpitalis S. Spiritus Commendatario renunciato, in munere Secretarii Congregationis Sacrorum Rituum ſuffectus fuerat. A quibus, nullâ interpoſitâ morâ, Patri Andreæ Lao Procuratori, & Vicario Generali Carmelitarum, & prædicto F. Gregorio à S. Bonaventurâ idonea, ad Canonizationem præparandam, mandata fuerunt injuncta.

Inſtantiæ pro can. BB. Petri & Mar. Magdal.

Ss. mandat parari neceſſaria ad canoniz.

D. Caſal. Secr. ſac. Rituum.

Parantur neceſſaria ad Canoniz.

Dum hæc parantur accuratâ eorumdem Patrum ſolicitudine, D. Caſalius narrationem vitæ, virtutum, & miraculorum B. PETRI ab Eminentiſſimo Sacchetto, ut ſupra retulimus, habitam, & B. MARIAE MAGDALENAE, quam D. Phœbeus ex iis, quæ, dum Secretarii munere fungeretur, proceſſibus accuratè perlectis, tum ſuper vitâ, & geſtis ipſius Beatæ in Sacrorum Rituum Congregatione ſolerter expenſa, & comprobata, tum in eâ causâ,

Ad singulos Card. transmittitur relatio.

& judicio peracta collegerat, brevî contraxit, typis dari mandavit, & singulis Cardinalibus exemplaria deferri (additâ tamen consuetâ notificatione) quæ hujusmodi sunt.

COMPENDIVM

Vitæ, Virtutum, & Miraculorum, necnon Actorum in Causâ Beatificationis, & Canonizationis Beatorum Petri de Alcantarâ, & Mariæ Magdalenæ de Pazzis.

Ex Secretariâ Congregationis Sacrorum Rituum.

Eminentissime, & Reverendissime Domine.

IN proximo Consistorio secreto Eminentiss. D. Card. Ginettus, Congregationis Sacrorum Rituum Præfectus referet Vitam, Virtutes, & Miracula, necnon Acta universa in Causâ Beatificationis, & Canonizationis Beatorum Petri de Alcantarâ, & Mariæ Magdalenæ de Pazzis: Sanctissimus verò Fratrum suffragia exquiret, an scilicet deveniendum sit ad solemnem eorumdem Beatorum Canonizationem; & singuli Cardinales per verbum *Placet*, vel *Non placet*, sententias aperient. Ideò transmittuntur, dilucidâ Narratione compilata ea, quæ Sacrorum Rituum Congregatio, prævio rigoroso examine, admisit, & approbavit, ut inde Eminentia Vestra cognoscere valeat, & maturè perpendere, quic-

quid

quid ad Dei gloriam, & Catholicæ Eccleſiæ decus magis conducibile videatur.

DE BEATO PETRO DE ALCANTARA.

IN Bæturiâ Hiſpaniarum regione Norbæ Cæſareæ, &c. *Relatio ad DD. Cardin. trãſmiſſa.*

Quæ hîc repetere ſuperſedeo, cum jam ſupra deſcripta reperiantur pag. 5.

Pergam igitur ulteriùs, alteram narrationem proſequendo

DE BEATA MARIA MAGDALENA De Pazzis.

FLORENTIA Vrbium Etruriæ princeps, virtutum altrix, Sanctorum fœcundiſſima parens, die ſecundâ Aprilis, anni milleſimi quingenteſimi ſexageſimi ſexti, mundo edidit Infantulam, cui ſanguine illuſtres parentes Camillus de Pazzis, & Maria Bondelmontia in baptiſmate Catharinæ nomen impoſuerunt, quod in ingreſſu Monaſterii in Mariam Magdalenam mutatum eſt. In eâ cum corpore crevit ſpirituale donum, & fortiſſimo divini amoris vinculo ultrà captum ætatis adſtricta, ferè ab incunabulis quaſi jam mundo nuncium remiſiſſet, quodcumque genus ſericarum veſtium abhorrebat, & illas, in lacrymas profuſa, in ſinum genitricis rejiciebat; mediocres vix ferre poſſe videbatur, & viliores hilaris induebat; quaſi jam illud apprimè intelligeret: *Vince veſtem, quæ Virgo es: vin-*

ce

te aurum, quæ carnem vincis, & ſeculum; nec monilium, aut veſtium quære ornamenta, ſed morum. Integrâ flevit die, patris imperio coacta, ut è domo egreſſura molliorem veſtem indueret. Ita ætatis prejudicium ſupergreſſa, creſcebat, confortabatur ſpiritu; nec illi adhuc rationis uſus erat, cùm jentaculum matutinis, & promeridianis horis à domeſticis acceptum in pauperes erogabat, futuræ quidem ſanctitatis inſigne præſagium.

De charitate in charitatem tranſibat, divino ſpiritu ducta, & jam quaſi cæleſti Sponſo matura, in divini amoris complexu vivebat, languebat, mortua erat: illi enim tantummodò adhærens, de Deo loqui, vel de eo loquentes tantùm audire volebat, & vana colloquia fugiens, in ſecretioribus gynæceis aſſiduò morabatur in meditationibus ſanctis, indeque à parentibus avocata, brevî ſe expedire ſatagebat, ut illa feſtinè repeteret; jam tunc à pueritiâ ſexenni Matthæi conſilium implens: *Cum oraveris, intra cubiculum tuum in abſcondito, & Pater tuus, qui videt te in abſcondito, reddet tibi.* Quicquid igitur ſupererat temporis à rebus domeſticis, orationi impendebat, Lucæ eloquio edocta: *Oportet ſemper orare, & nunquam deficere*; & Pauli ſuaſa conſilio, *Sine intermiſſione orate.*

Quoties illa peccatis hominum Deum offendi cogitabat, in lacrymas inenarrabiles agebatur, quibus divinam miſericordiam ad peccatorum veniam, & emendationem provocabat. Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum eo humilitatis ſenſu vene-

ra-

rabatur, ut recèns illo refectos avidè alloqueretur, quasi tunc Dei præsentiâ in illis frueretur, Christo Domino asserente: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.*

Aetatis igitur anno decimo, Feria V. in Cœnâ Domini, Christi amoris excessum contemplans, quo se mortalibus in Eucharistiæ Sacramento salutarem cibum exhibuit, perpetuam illi devovit Virginitatem, & quicquid per ætatem poterat, totum Christo consecravit, seque Parentibus subinde conjugium suadentibus respondebat, potiùs mortem subituram, quàm à Virginitatis semel concepto proposito resilire; *beatiùs*, inquiens, *sibi videri, in carne imitari vitam Angelicam, quàm ex carne mortalium numerum augeri.* Itaque fervido desiderii æstu ad sanctimonialis vitam in perpetuâ Virginitate anhelans, matrem precibus sibi conciliare studebat, ne castum propositum impediret; patri verò asserebat sanctâ deliberatione, *se potiùs capitis discrimen passuram esse, quàm aliud vitæ genus amplecti, præter Monasticum*: ad hoc citiùs evolare solicita, moram pati vix poterat, crescebatque ex dilatione desiderium.

Interim ruri degens, viles puellas, quasi tyrunculas sibi assumptas, Christianæ Legis præceptis imbuebat; domique singulis Festis rusticanam turbam in unum congregans, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Fideique Symbolum illi exponebat, atque, ut eadem turba libentiùs confluereet, plerùmque illis sudariola, & gremialia, assentiente matre, donabat. Ruri proinde libenter

mo-

morabatur, Civitatem invita nec ſine lacrymis repetebat; ubique tamen piis precibus ſedulò intenta erat, vehementer ſolicita, ut domeſticis ſuis in eo opere ſociaretur.

Adultâ ætate Monaſterium S. Ioannis Equitum in educationem ingreſſa, nunquam ibi obſequentis puellæ affectum egreſſa eſt. Moniales ideò Sanctam fore puellam præſagiebant, non inferiorem Geltrudæ, & Catharinæ Senenſi, & in eâ virtutum omnium, præſertim humilitatis, obedientiæ, & charitatis ſpecimen admirabantur. Quoties illa audiebat, ſuperſtites haberi viros Chriſtianâ pietate inſignes, qui vel pro Dei amore, vel pro Religionis incremento in viâ Domini laborarent, ſancto gaudio exilire videbatur, & gratias Deo referebat, qui majora dignaretur per alios, quàm per ſe ipſam operari; nempe majorem ex aliis, quàm ex ſe proceſſuram Deo gloriam humilis adoleſcentula arbitrabatur: è contrà verò, cum cerneret Religioſorum cœtus divino cultui intepeſcere, & declinare à ſtrictiori ſemitâ, per quam primi Duces iter ad Cœlum paraverunt, anxiè admodùm affligebatur.

Moniales infirmas frequenter inviſebat, lectione ſacrâ reficere ſatagebat, & ad Sacramentorum frequentiam blandis verbis alliciens; ad fundendas Deo preces ſanctâ interim ſedulitate trahebat; *non quærens quæ ſua eſſent, ſed quæ Ieſu Chriſti.* Et quamvis temporalibus exercitiis intenta eſſet, ejus tamen anima divinis contemplationibus abſorta, claris jam immenſæ Veritatis fulgoribus excitabatur: itaq;

divi-

divino amore inebriata, interdum eo vultûs rubore inflammabatur, ut roſæ ſpeciem referret, oculi inſtar ſyderum fulgerent, & tota quid Angelicum exhiberet.

Anno milleſimo quingenteſimo octogeſimo tertio, ætatis ſextodecimo, tandem cum lacrymis Religionis habitum ſuſcipiendi facultate à Parentibus impetratâ, Monaſterium S. Mariæ de Angelis Ordinis Carmelitarum ingreſſa eſt, nunquam ſibi feliciorem diem contigiſſe affirmans: quâ de causâ parietibus Monaſterij oſcula figebat, quibus à ſecularium rerum contagio, & à ſenſuum illecebris ſe cuſtodiendam eſſe ſperabat. Ex eâ die nunquam ad crates ferreas accedere viſa eſt, niſi præcepto Superioris coacta, memor Ambroſii docentis, *Virgo, quæ Chriſtum quærit, non debet eſſe vulgaris, non in foro, non in plateis; crates Monialium* inquiens *forum, plateas eſſe.* Oderat proinde etiam parentum, & conſanguineorum colloquia, ſed virorum præſertim: gnara, *quòd Virginum eſt trepidare, viri ingreſſus pavere, & ad omnes viri affatus vereri.* Eâdemque operâ ſedulò præcavebat, ne inanibus nugis tempus illud contereret, quod in divinis colloquiis impendendum erat. Sciens autem cultum juſtitiæ eſſe ſilentium, leges ejus nunquam violavit, taciturnitatis cuſtos religioſiſſima, *ſola in penetralibus, quam nemo virorum videret, ſolus Dominus reperiret.*

Sepulto propriæ voluntatis arbitrio, tota è Superiorum nutu pendebat, ſummâ cum lætitiâ imperata exequebatur, licèt illa interdum cum ſua volun-

tate pugnarent, Pauli sectatrix præcipientis, *Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis: ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Itaque non nisi accedente Superioris assensu, ea etiam, quæ sibi in extasim raptæ à Deo imperabantur, executioni mandabat, Apostoli sermone paritèr edocta, quod *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas nisi à Deo, quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt; itaque qui resistunt potestati, Dei ordinationi resistunt.* Imò nedum Superioribus ex voto, sed sociæ nutibus, se illi voluntariè subiiciens, parebat.

Ad vilia quæque officia læta descendebat, & si quid interdum ad vitæ necessaria sibi deesse contingeret, præ gaudio gestiebat, tunc inquiens sibi videri, quòd paupertatis limites non excederet. Copiam itaque rerum neausea bat, & novam nunquam, sed magis tritam vestem perquirebat, solicita non fulgere nitore vestium, sed candore animæ, iuxta D. Bernardi sentêtiam. *Foris pannosa, intus speciosa.* Sic emergens è terrâ, ea dumtaxat appetebat, quæ sursum sunt; omniumque sese virtutum exemplar absolutissimum exhibens, Monialibus sciscitantibus, quomodò in Monasterio conversandum esset, respondere solebat, oportere eo semper spiritu vivere, quem primâ ingressûs die conceperant: fortassè memor Ecclesiastici, dicentis, *Fili à iuventute tuâ excipe doctrinam, & usque ad canos invenies sapientiam*: nullumque præterea privatum commodum præceptis Religionis præferendum addebat.

Com-

Completo decimo ſeptimo ætatis anno, ſummō pietatis ardore profeſſionem emiſit; ſubinde nullum detrectans laborem, alienum ſubire aſſueta erat, ut reliquæ Sorores, oneribus temporalibus alleviatæ, ſacris myſteriis, & orationi commodiùs inſtarent. Noctes proinde plerùmque traducebat inſomnes, vt Sororum miniſteria impleret, ipſæque vnà ſecum dies tranſigerent in exercitationbus ſanctis.

Singulis Sabbatis ex Euangelio proximæ Dominicæ meditandi per hebdomadam argumenta deſumebat: ejus colloquia erant perpetua Diviui amoris incitamenta; erat enim illi quædam lucida ingenii acies, in fronte modeſta tranquillitas, prudentiæ lumen ad regimē perſpicax, & in Cæleſtium ſermone mira facundia: quàmvis enim Latinè loqui non didiciſset, nec ſacris literis operam navaſset, ſępè tamen vel Sacri Textus ſententias referebat, vel Sanctorum dicta, & adagia, ut ſe ferebat occaſio, memorabat. Itaque annum agens vigeſimum tertium Tyruncularum illi cura demandata eſt, quarum animos ſolâ præſentiâ piis cogitationibus imbuebat, & vno oculorum ictu culpis obnoxias detertebat; itaut faterentur, ſe vel leviſſimis labeculis inquinatas, Præceptricis conſpectum ſuſtinere nequiviſse: quamvis illa adeò de ſe humiliter ſentiret, ut ſuas tentationes, animique perturbationes Tyrunculis ipſis memoraret, ne præconceptâ ſuæ ſanctimoniæ opinione deciperentur. Etſi enim Sancta omnibus & videretur, & eſset, ſe tamen omniū

imperfectiſsimam reputabat; nempe *ſanctitas illius iam omnibus nota, ſe tantùm latebat.*

Cæleſti quodam lumine imbuta, animarum ſtatum, & intimos cuiuſque ſenſus penetrabat: aptiſſima proinde remedia animarum languoribus applicabat, ut vel vitia abigeret, vel virtutes induceret. Quare nedum Tyrunculas ſuas, ſed alias pleraſque tentationibus vexatas, ejus directioni Confeſſarii ſubiiciebant; quas ipſa ad ſolidam animæ quietem trahebat, & ſuâ non fucatâ benignitate, quâ illas erudiebat, interdum ſolabatur: vel zelo, quo timorem incutiebat, inobedientes corripiebat, & vitia perſequebatur. Quemadmodum igitur ſolo verbo animarum perturbationes pacabat, ita ſolo nutu pervicaciam contundebat, nunquam verò alias increpabat, niſi priùs conſiderationis oculum in ſe retorqueret, culpas timens, quibus carebat: hæc enim humilium perfectio eſt, *illic culpam timere, ubi non eſt.* Confortabatur tamen ſæpiſſimè repetens, *non habere Deum obicem, quem ſibi irato poſſit opponere, ne ſontes animas dimittat impunes*: & *Religioſas teneri plurimùm* aſſerebat, *tam pro ſuâ, quàm pro aliorum ſalute ferventes ad Deum preces effundere.*

Quotidie Sanctam Eccleſiam Deo commendabat; & Sanctimoniales redarguebat, quæ diem præterire ſinerent, non effuſis pro Eccleſiâ precibus: aſſueta dicere, nomen ſponſæ Chriſti non mereri, quæ Eccleſiam, Dei Sponſam, Maieſtati Divinæ ſedulò non commendaret.

Conquerebatur præterea, flebat amaris lacrymis,

quòd

quòd non posset ad Christi ovile devias oves reducere, ac infidelium conversioni operam exhibere;& hæc revolvens animo, in profusiores lacrymas solvebatur, adeòut cibum sumere non posset, *potum cum fletu temperaret, verè lacrymis stratum suum rigaret*. Itaque si martyrium deerat, martyrii desiderio planè conficiebatur; tum assiduis corpusculi cruciatibus, semper *mortificationem Iesu Christi in se circumferens, ut vita Christi manifestaretur in corpore suo*. Licèt verò exterior homo pro infirmitate suâ cruciatus horreret, interior tamen invictâ quidem constantiâ *omnia poterat in eo, qui eam confortabat*: & quicquid suo opere explere nequibat,verbo supplere satagebat. Itaque Mariam Mediceam ad Gallorum Regis connubium properantem enixè rogavit, ut hæreses extirpari, infideles reduci,& Catholicorum filios piè educari studeret.

Choro, nisi ægra, nec semel defuit: & ad ægras assidua, jam declamatis insomnis assistebat, nedum viventibus, sed vitâ functis quæcunque exhibens pietatis officia. Præ cæteris verò ægræ cujusdam Sororis curam gerens,naturalem fugæ affectum promptitudine spiritûs supergrediens, ex fœtidissimo ulcere, quos horrebat infirma caro, vermiculos, & putredinem abstergebat: cumque putres ulceris hiatus lamberet,exclamabat: *O quam maiora passus est Iesus pro nobis*: mentem figens in Mysteriis acerbissimæ Passionis Christi; gnara *certam esse expectationem promissæ Beatitudinis, ubi participatio fuerit Dominicæ Passionis*. Lingebat præterea deformes scabiei

biei cruſtas, quibus obtegebatur corpus Sororis Barbaræ de Baſſis, & Mariæ Benignæ de Orlandinis, ut fusè infra inter Miracula referemus.

Eò tandem divini amoris æſtu urebatur, ut per clauſtra tranſiliens exclamaret. *O Amor, ò Amor non benè notus, non benè redamatus, tot injuriis affectus: ò quam pauca pectora te norunt: ego pectus meum exhibeo: veni ad cor meum, veni, ut fovearis.* Itaque tali ferebatur impetu, ut clauſtra mirâ corporis agilitate percurreret, veſtes dilaceraret, & quidquid manibus offerebatur, procul abigeret. Mox ſibi reddita, uri magis inhians, dicere ſolebat, quod ſi blasphemiis locus eſſet immunis, nec abhorruiſſet ignem inferni, modò ibi ſanctum nomen eius non blaſphemaret.

Vbi Symbolum Fidei recitabat, in extaſim rapiebatur, idque non ſemel illi evenit alloquenti Cardinalem Alexandrum Medicem, mox in Pontificatu Leonem Vndecimum: *plus enim ubi amabat, quàm ubi animabat, ſuo amoris pondere ferebatur.* Dietim Sanctiſſimam Trinitatem ſummâ humilitate, & aſſiduis ferè laudibus adorabat: itaque anno milleſimo quingenteſimo octogeſimo quinto, à die Sabbati Pentecoſtes ad diem Dominicam Sanctiſſimæ Trinitatis, dies noctesque ſuccedentes divinâ viſione extra ſenſum gaviſa eſt, in quo raptu quotidiè manè Sancti Spiritus auram ſub diverſis formis accepit; cumque in ſe rediret, ſumpto vix modico cibo, ad Divinas horas recitandas pergebat.

Feriâ quintâ, & ſextâ majoris Hebdomadæ eodem anno, & anno milleſimo quingenteſimo no-

na-

nageſimo ſecundo, perſimiles raptus paſſa eſt, cum communicatione dolorum, quos Chriſtus in ſuâ Paſſione pertulit acerbiſſimos, ei ſcilicet porrigente Domino faſciculum myrrhæ ſuæ Paſſionis myſteria.

Interdum per tres ſuccedentes noctes ad altiſſima quæque divinarum rerum arcana admiſsa eſt, & ſubinde Sanctiſſimæ Trinitatis myſteria vltra humanum captum expoſuit: cumque ad Horas Canonicas Triadi laudes caneret, adeò Diuinarum Perſonarum amor eam urgebat ut ferventi illo dilectionis ardore liqueſcens, pallere, & penè confici videretur.

Ipſo eodem anno cum æterno Patre admiranda habuit colloquia de præparatione ante ſumptionem ſanctiſsimæ Euchariſtiæ: iiſque viſionibus, & Dei gratiis ad eum tandem amoris æſtum pervenerat, ut amore redundans interdum exclamaret. *O Amor, te ampliùs ferre non poſſum: O Amor in te redi; tanti Amoris incapax ego ſum*; ſtatimque gelidum fontem, vel puteũ feſtinè petebat, ubi inter frigidas undas brachia, & manus mergebat, illas avidiſſimo ore potabat, & ſinum aquarũ copiosâ aſperſione refrigerabat. Nec ſemel, cum tanto amoris igne vreretur, Ieſu Chriſti Imaginem ſtringebat amplexibus, eamque è Cruce divulſam, jam lacrymis madidam, propriis velaminibus detergebat. Interdum verò adeò lateri Crucifixi os applicabat, quaſi inde ſuaviſſimum liquorem ſugeret. Semel à Deo annulo ſubarrata eſt; aliquando coronâ ſpinarum redimita; & â D.

Augu-

Augustino bis super cor eivs inscriptum est characteribus aureis, vel sanguineis ; *Verbum Caro factum est*; eiusque Sancti felicem animam in extasim rapta suspexit.

Deum tandem orabat, ut nullo jám vel cælesti oblectamento ipsam recrearet, quæ ut perfectiùs, & puriùs inserviret, nullo jam erat confovenda solatio, sed corporis tantùm robore munienda ad ferendum fortiùs: vel saltem cælestes favores, quos sibi Sponsus dignabatur impertiri, arcano tegeret velamento; Sancti Leonis memor dicentis: *Fratres, quantùm possumus, elaboremus, ut quod superbia tumidum, elatumque reddit, humilitate, & mansuetudine complanetur*: Nec non sapientis adagium apprimè intelligens, quòd *Vbi humilitas est, ibi sapientia est*. Quæ de se scripta, deque suis visionibus penès Sorores reperiebat, comburere solebat, intimam animi modestiam, suique contemptum, oculis, ac vultu perpetuò demonstrans. Rogavit, & exaudita est oratio illius: eam siquidem spiritûs ariditatem quinquennio passa, iis tentationibus vexata, ac dæmonum injuriis affecta est, ut sorores eam spiritu erroris illusam, ipsa se interdum rationis usu destitutam existimassent, nisi Deus Ancillam suam miraculis illustrasset.

Quinquennio panis, & aqua tantùm illi cibus fuit, & potus; proximo autem biennio Medicorum imperio modicum vinum adjecit aquæ, & Dominicis diebus Quadragesimali cibo vescebatur. At cum voluissent Superiores experiri, an Deo annuê-

te,

te, tali abſtinentiâ afficeretur, mitiorem illi eſcam appoſitam ſumere coacta, eam difficultatem glutiendo paſsa eſt, ut ſingultibus penè deficere videretur. Mirabilem ideò in tam rarâ abſtinentiâ vitam tranſigebat, & nudis incedebat pedibus, quàmvis glacies urgeret, donec pedibus omninò impedita, alienâ tantùm ope progrederetur. Adhuc tamen *exultans, ut gigas ad currendam viam*, ad Cælum feſtina properabat; & licèt morbi ſecus illi ſuaderent, eo tamen anxio caſtigandi corporis ardore æſtuabat, ut integras noctes in oratione tranſigeret, ferreo cingulo, & ciliciis carnem tereret, ſpineâ coronâ caput transfigeret, liquenti cerâ ſe interdum uſtularet. Quaſi verò ad ſummum virtutis perveniſſet, ad exitum properabat; ubi enim incremento locus non eſt, occaſus prope eſt.

Vigiliis itaque, & corporis caſtigationibus confecta, cum Divo Auguſtino sẽtiebat, *inquietum eſſe cor noſtrum, donec requieſcat in Deo, & rationabili creaturæ nullo modo ſufficere ad beatam requiem quidquid Deo minus eſt; omnemque copiam, quæ Deus non ſit, egeſtatem videri; nihil proinde animam implere, niſi Deum, ad cuius imaginem facta eſt.* Conquerebatur propterea, quòd *incolatus eius prolongaretur, & cupiebat diſſolvi, cum Chriſto perenniter permanſura.*

Aegra, iam penè confecta, delicatiorem ſibi delatum cibum, quaſi illo non indigeret, ſui prorſus oblita ad alias ægrotas mittebat: adeòque cultrix caſtitatis erat, vt ſe iam ad aliam lecti partem vertere non valens, ægreferret Sororis manibus tan-

gi, *iucundius sibi* inquiens *in strato marcescere, quàm alienâ manu contrectari* : & iam prope moritura, à Confessariis expetita, ingenuè fassa est, *ne cogitatione quidem cognovisse unquam, quidnam esset, quod Castitatem deformaret.* Hunc verò pudicitiæ candorem à Beatissimâ Virgine se accepisse asserebat, quæ eam in extasim semel raptam nitidissimo velo operuerat, quo circumdata, nullâ unquam labe potuit pudicitiæ candorem denigrare.

Tandem quinque mensium ęgritudine afflicta, invictæ patientiæ documenta præbuit: & Sacramentis de more munita, eximiâ animi demissione à Monialibus veniam postulauit, omnique mortis timore excusso, futuram tantùm vitam meditando, Sorores, ut bono essent animo, solabatur,

Circa horam septimam Confessario sibi assistenti dixit, ad quiescendum pergeret; adhuc enim sibi ad manè proximum vita supererat. Morti proxima Symbolum Fidei, quod loquelæ usu destituta recitare nequibat, à Sororibus recitari nutibus imploravit, eoque inchoato in extasim rapta est; & quasi tunc felicia Paradisi gaudia prælibaret, quædam æternæ felicitatis, & beatificæ fruitionis dulcedines in eius vultu collucebant, quæ tamen adhuc à profundæ humilitatis indiciis eam minimè segregabant.

Manè cum Confessarius, Sacrum facturus, stolam indueret, & à Monialibus admonitus esset, ut ad Mariam Magdalenam agentem animam accederet, respondit. *Dicite illi, ut quam viuens exhibuit*

obe-

obedientiam, præstet pariter moritura, & me expectet, donec Sacro peracto, Sorores suas cælesti Pane reficiam. Hæc audiens Maria Magdalena, quæ vsque tunc penitùs obmutuerat, quasi ab interitu revocata, subridens inquit. *Benedictus Deus*: potum postulalavit, & animam retinuit, donec Sacrificium compleretur, & Moniales à Sacro Convivio unà, & Confessarius rediissent. Tunc verò innocentem animam, qualem à Deo acceperat, Cælitum choro inferendam Servatori restituit, die vigesimâ quintâ Maii, anno MDCVII. ætatis quadragesimo primo. *In quâ brevi vitæ periodo explevit tempora multa*, & mortem obiit *pretiosam in conspectu Domini*. Proximâ die corpus ejus ad Ecclesiam elatum est, tantaque hominum multitudo accurrit, quæ vestes illius intercideret, ut postes Ecclesiæ occcludere necesse fuerit.

Interim illud accidit admirabile, quòd cum B. Virginis facies ad sinistram declinaret, extemplò dextrorsum vergere visa est, quàmvis feretrum nullo motu ageretur: & compertum est, à sinistris adstare profitutæ vitæ adolescẽtem, quem neque exanime Virginis corpus ferre pótuerat.

Sacrum pignus humo traditum est sub maiori arâ Templi, humido quidem loco; ubi tamen per annum quievit incorruptum, quàmvis vestes ex humiditate loci penitùs consumptæ essent. Inde translatum, suaviſſimum liquorem, uti balsamum, è tibiis emisit, variis medendis languoribus salutarem. ad præsens verò corpus etiam incorruptum manet leniſſimo fragrans odore.

Condito cadavere, fama tamen Sanctitatis, & Miraculorum magis inde gliſcere viſa eſt. Quare editi ſunt Proceſsus informativi auctoritate Ordinariâ, quibus mox in Congregatione Sacrorum Rituum per bon. mem. Cardinalem Vrſinum relatis, die decimâ Februarij, anno MDCXXIV. Sacra eadem Congregatio conceſſit Literas Remiſsoriales ad ſumendas probationes in genere, & in ſpecie; & cauſæ diſcuſſionem Sacræ Rotæ Auditorio tunc de more commiſit.

Allatis ad Vrbem Proceſſibus Florentiæ compilatis, Sacra Congregatio die quartâ Aprilis, anno MDCXXVI. referente bon. mem. Cardinale Pio, cenſuit conſtare de illorum validitate. Dîe verò vigeſimâ quartâ eiuſdem menſis declaravit cõſtare de Virtutibus in gradu heroico. Et ſecundâ Maij eodem anno, quæ ſequuntur miracula approbavit: nempe dum viveret.

Maria Magdalena ſuens, vel pingens repentino mentis exceſsu corripiebatur, at, fixis licèt in Cælum oculis, ab incœpto opere non ceſsabat, ipſum ita perficiens, ac ſi illi tantùm intenta eſset: Moniales verò exploraturæ, an videlicet aliquo oculorum miniſterio opus expleret, feneſtras claudebant, oculos illi faſciis velabant; ipſa tamen immobilis, & extra ſenſum eodem planè modo opus proſequebatur, & abſolutiſſimè perficiebat.

Soror Maria Catharina de Chellis ab ulcere, ex quo pars oſſis putrefacti Chirurgus extraxerat, acerbiſſimis conficiebatur doloribus; per Beatam faſciis

ſciis obligata, à doloribus illicò, & ſubinde ab ulcere liberata eſt.

Soror Fides per annũ adversâ valetudine laboraverat, & nervorum omnimodâ attractione impedita, lecto immobilis hærebat, acerbiſſimis excruciata doloribus. Acceptâ è manibus Beatæ Imagine Deiparæ Virginis, cum quâ ſuper illam ſignum Crucis produxerat, momentò ſanatur.

Catharina de Spinis à dæmone obſeſsa, ad Beatam perducta eſt, ſtatimque diriùs, acriùſque vexari cœpit; at ſigno Crucis ſuper eam per Beatam producto, dicto citiùs dæmon abſceſſit.

Soror Barbara Baſsa tabificâ ſcabie, lepræ non abſimili, vexabatur, à Medicis deſperata; lambit Maria Magdalena ejus ulcera, & ægra evadit prorsùs incolumis.

Sorori Mariæ Benignæ de Orlandinis fœtidâ ſcabie iam in lepram deſiturâ, per ſexquiannum laboranti, lambit paritèr Beata partes affectas, & morbus evanuit.

Soror Pax de Columbinis totius ſiniſtri lateris apopletico morbo correpta, ter tribus ſucceſſivis diebus ſuper ægram à Beatâ ſigno Crucis producto, primâ die lateris ſenſum, ſecundâ motum, tertiâ integram ſanitatem recepit.

Cherubina Rabatta peſſimo vlcere in capite affecta, febri, & acerbiſſimis doloribus, à Medicis derelicta torquebatur; ter autem per Beatam ſuper ægram ſigno Crucis producto, vlcer, dolor, & febris abſceſſerunt.

Ipsa eadem Cherubina alio ulcere, & lethali febri correpta, extremâ unctione munita, ferè agebat animam; tetigit stramentum, in quo iacebat Beata, & statim se sanam reperit.

Post mortem verò: è tibiis corporis Beatæ integri, & incorrupti diutinus liquor effluxit, minè fragrans, & varijs medendis languoribus salutaris.

Maria de Rovanis decimo jam sexto mense lethali febri prostrata, & vitæ spe penitus destituta, ad pectus admoto sibi florum fasciculo, qui Beatæ recèns defunctæ Corpus tetigerat, repentino somno corripitur, nec multò post expergefacta è lecto desilit prorsus incolumis.

Eadem Maria post quadriennium rursus molestissimâ febri, variisque morbi symptomatibus in discrimen vitæ adducta, stomacho puluillum, quo Beata, dum viveret, utebatur, applicavit, & pristinæ sanitati restituta est.

Elapsis subinde mensibus, febri, & acerbissimis stomachi doloribus aggressa, spatio integri bimestris lecto decubuit: & statim ac tunicam, quâ Beatæ corpus amictum fuerat, superinduit, euasit incolumis.

Post annum paritèr in febrim incidit, quâ per bimestre prostrata est; producto tamen super eam signo Crucis cum velo, quod viuens Beata adhibebat sanitatem recepit.

Catharina de Tassis duodenario stomachi dolore dirè exagitata, dolore capitis cùm vertigine, & febri

bri ſuccedentibus, propè iam moritura, particulam veſtis Beatæ ſtomacho admovit, & ſomno ſtatim correpta eſt; mox expergefacta, ſe doloris, & ægritudinis moleſtiâ liberam reperit.

Magdalena de Rondonis ſex annorum ſpatio confirmatis doloribus, quibus totum corpus excruciabatur, jam declamata, applicitis corpori veſtibus Beatæ, voto vix nuncupato, ſanatur.

Petrus de Allis Romanus febri, & doloribus jam penè confectus, ſuperinduto velo Beatæ, illicò convaleſcit.

Exinde Sacra Congregatio permota eſt, ut Decretum ederet, poſſe quandocumque tutò deveniri ad ſolemnem B. Mariæ Magdalenæ Canonizationem, & interim illi Beatæ titulum, & cultum exhiberi.

Die XXII. Auguſti prædicti anni MDCXXVI. univerſo Carmelitarum Ordini indulſit, ut illius Officium, & Miſſam reſpectiuè recitare, & celebrare poſſet.

Die XV. Ianuarii, anno MDCXXVIII. huiuſmodi indultum extendit ad univerſam ditionem Florentinam.

Poſt noviſſima autem Decreta ſan. mem. Vrbani Octaui, die I. Aprilis, anno MDCLXII. Sacra eadem Congregatio cenſuit, conſtare de caſu excepto, nempe de Cultu Beatæ exhibito auctoritate Apoſtolicâ. Compilatis ſubinde Proceſſibus ſuper his, quæ Beatificationi ſucceſſerunt, iiſque ad Vrbem allatis, & in Sacra Congregatione diſcuſ-

ſis,

sis, declaratum fuit, constare de illorum validitate, die scilicet IIII. Octobris, anno MDCLXVII. & die decimâ Septembris proximi præteriti anni MDCLXVIII. constare de quinque Miraculis, post indultam Beatæ venerationem secutis. Nempe continuationis incorruptionis,& fragrantiæ corporis Beatæ. Nec non duplicis multiplicationis olei in Monasterio Sanctæ Mariæ Angelorum Florentiæ anno MDCXXVI. & anno MDCLIV. primæ scilicet, olei insumendi in lampadibus per octiduum arsuris in celebratione solemnium Beatificationis ipsius Beatæ: secundæ verò olei prædicti in vrceum ferè vacuum effusi, quod subinde satis fuit indigentijs Monasterij per integrum quadrimestre, nec multiplicare desierat, donec nouum oleum collectum esset. Nec non restitutionis visus Mariæ Angelæ Gorinæ guttâ serenâ per biennium orbatæ, quæ ope Beatæ Marię Magdalenæ imploratâ, statim perfectè vidit,

Restat igitur, ut re tanti momenti positâ inter Fratres, Summus Pontifex audiat, an ad Actum solemnis Canonizationis tandem deveniri videatur in Domino conducibile.

Consistorium secretum pro Canoniz.

DIE igitur XVIII. Martii, anno MDCLXIX. coacto Consistorio secreto, quod, ut moris est, præcedenti die indictum fuerat; Sanctissimus clausis foribus, ita locutus est.

Vene-

Venerabiles Fratres. Ratio præsentis temporis, in quo S. Mater Ecclesia suadet fidelibus, ut præcipuo studio ad misericordiam implorandam confugiant: tum etiam urgētes Christianæ rei necesitates à nobis exigunt, ut Divinæ bonitatis Thronum peculiaribus, atque humillimis precibus adeamus; eorum suffragia procurantes, qui cùm cælesti beatitudine fruantur, & inexhaustum illum æternæ gratiæ fontem de proximo hauriant, posunt opportuno, & valido præsidio nos juvare. Idcircò cogitationem nostram, mentemque convertimus ad promovendam Causam Canonizationis Beati Petri de Alcantarâ, & Beatæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis, de quorum heroicis virtutibus, atque eximiis miraculis narrationem in præsenti Consistorio exponi, & à Vobis audiri cupimus.

SS. mandat referri vitam, & acta Beatorū.

TVNC Eminentissimus Ginettus Congregationis Sacr. Rituum Præfectus, Sanctissimi mandatis obtemperans, in hunc modum referre cœpit.

BEATISSIME PATER.

Beatus Petrus in Alcantarâ Hispaniarum Oppido natus est anno millesimo quatercentesimo nonagesimo nono ex Petro Garabito, & Maria Villelâ, sanguine, & pietate illustribus. Infantiam, & pueritiam in omni disciplinâ, cultuque Virtutum transegit, non omissis literarum studiis, quibus in Salmaticensi Academiâ ità incubuit, ut non minùs ingenii, quàm sanctimoniæ laude floruerit. Arce-

Relatio in Consecret. de B. Petro.

bant eum ab illecebris peccantium caſtigatio corporis, ſenſuum cuſtodia, jugis oratio, & mens in rerum divinarum contemplatione ſemper defixa. Annum agens decimum ſextum, relictâ Patriâ, domoque paternâ ad Conventum loci Manxarretes Ordinis Minorum clàm fugit; cumque ad ripam rapidiſſimi fluvii perveniſſet, nec ullo modo trajicere poſſet, implorato Dei auxilio, ſe repentè ad ulteriorem ripam translatum vidit; & hinc properans ad deſtinatum Cœnobium, ſanctæ Religionis habitum petiit, & obtinuit. Minorum itaque militiæ adſcriptus, ſe cunctis majorem præbuit animi demiſſione, modeſtiâ, ſilentio, rerum omnium abdicatione, atque in Deum, & proximum charitate. Mox expleto tyrocinio profeſſionem emiſit, & votis nuncupatis, ſoli Deo vacabat. Anno vigeſimo vix expleto, cùm ſenili prudentia polleret, Cuſtos inſignis Cœnobii electus, titulum dignitatis in majorem rigorem retulit, potens opere, & ſermone. Ibi aliquando deficiente pane, & altâ nive Conventum obſidente, in Dei providentiâ confiſus, fratres ad oſtium miſit, ubi caniſtrum panibus refertum repererunt, nullo apparente veſtigio hominis, qui ipſum attuliſſet. Sacerdotio initiari, imperio Superiorum coactus, quotidie ſacrum faciebat tot effuſis lacrymis, & tantâ amoris vehementiâ, ut ſæpè immobilis, ac è terrâ elevatus viſus ſit. Carnem ſuam flagellis, ciliciis, inediâ, vigiliis, frigore, & nuditate, acerrimus ſui vindex, penè confecit. Provinciæ Sancti Gabrielis Præfectus, arctiſſimam Sancti

Fran-

Franciſci familiam novâ reformatione arctiorem fecit; pluresque reliquit in plurimis à ſe fundatis Conventibus rigidioris propoſiti ſectatores. Cellam adeò anguſtam habitabat, ut nonniſi flexis genibus in eâ morari poſſet. Dono diſcretionis ſpirituum, ac divinitùs infusâ Sapientiâ eum præditum fuiſse Seraphica Virgo Thereſia ſcripſit, quæ de ejus virtutibus, ac vitæ incredibili auſteritate, ſæpè teſtimonium perhibuit; addens, nec momento quidem diei, ac noctis eum ab oratione ceſsaſse. Annum denique agens ſexageſimum tertium in febrim incidit, nihil de priſtino rigore remittens, donec mirabili Sanctiſſimæ Trinitatis viſione, ac Beatæ Virginis præſentiâ confortatus migravit ad Dominum, die decimâ octavâ Octobris anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſecundo, cujus animam, eodem momento, in Cælum ferri Sancta Thereſia procul diſtans vidit, cui etiam bis poſteà apparuit, ut ipſa teſtatur puriſſimæ lucis fulgore circumfuſus: *O beata*, inquiens, *pœnitentia, quæ tantum meruit præmium habere*.

Quòd verò attinet ad miracula, tria præ cæteris in vitâ ab eo patrata Sacra Congregatio approbavit. Primum eſt, quod Tagum fluvium aquarum alluvione turgidum ſicco veſtigio pertranſivit. Alterum, quòd cùm baculum ſuum in horto Conventûs infixiſset, protinùs in virentem ficulneam crevit, quæ fructus adhuc ſuaviſſimos profert, multis languoribus ſalutares. Tertium, quòd noctu iter agens, cùm copiosè ningeret, nec ſemitam, quà

tenderet, nec locum, quo tegeretur, inveniret, domum dirutam, tecto penitùs deſtitutam ingreſsus eſt, ſtatimque nix in aëre pendula ei pro tecto fuit, ne illius copiâ obrutus ſuffocaretur. Poſt mortem tredecim item approbata ſunt, ſanationum ſcilicet à malignâ, & lethiferâ febri, à membrorum contractione, ab oſſium fractione, à ſurditate, à cæcitate, & ab aliis gravioribus morbis, integrâ in inſtanti reſtitutâ incolumitate. Quibus diſcuſſis, & approbatis Gregorius XV. Beati titulum, & cultum ei conceſſit: novoque proceſſu facto, ob nova Decreta ab Vrbano VIII. edita, fama ſanctitatis, & fidelium veneratio perſeverans, & creſcens reperta eſt; aliisque miraculis ab Innocentio X. comprobatis, videlicet Andreæ, qui cruribus, & pedibus attractis ductus ad Beati Viri ſepulchrum liber domum rediit: & pueri octennis pedum, & crurium uſu à nativitate deſtituti adeò, ut ſine fulcris ambulare nequiret, qui perfectam quoque ſanitatem conſecutus eſt. Hæc ſunt, Beatiſſime Pater, Beati Petri heroica geſta, hæc ſigna, & miracula, quibus accuratè perpenſis Congregatio Sacrorum Rituum, repetito voto cenſuit, poſſe tutò deveniri ad ſolemnem ejuſdem Canonizationem. Reliquum eſt, ut Sanctitas Veſtra, Beatum Petrum Sanctorum faſtis adſcribat, idque diutiùs protrahi non ſinat: Pro quâ gratiâ obtinendâ humillimas preces Sanctitati Veſtrę porrigunt Regina cum Nato Hiſpaniarum Rege Catholico, necnon cum Clero Hiſpaniarum, & Civitatibus Regnorum Caſtellæ, & Legionis, Dux

Sa-

Sabaudiæ, aliique Catholici Principes, & universus Ordo Sancti Francisci.

ABSOLVTA relatione, Sanctissimus his verbis Cardinalium sententias requisivit. *SS. Card. vota exquirit super canonizat. B. Petri.*

Venerabiles Fratres. Ex iis, quæ audistis, perspectum satis est, quæ, & quanta Omnipotens Deus, qui facit mirabilia magna solus, dignatus sit operari per Servum suum Beatum Petrum de Alcantarâ. Videtur ne Vobis expedire, ut ad solemnem ejus Canonizationem juxta Ecclesiæ institutum procedamus?

ET Cardinales concordibus suffragiis per verbum *Placet*, responderunt. *Card. assentiunt.*

Tunc idem Cardinalis Ginettus nutu Sanctissimi narrationem de B. MARIA MAGDALENA hoc modo prosecutus est.

BEATISSIME PATER.

Beata Maria Magdalena, ex illustri Paciorum familiâ Florentiæ nata, priùs orare didicit, quàm loqui: Nullum infantiæ in eâ signum, sed sola apparuit innocentia. Omnes enim mundi blanditias, omnes sensuum illecebras perosa, relictis creaturis, soli Deo vacabat, à quo septennis edocta quicquid de studio orationis Sancti Patres præscribunt, exactissimè observabat. Ab utero crevit cum illâ miseratio, nam parvula cibum sibi subtrahebat, ut *Relat. de B. Maria Magdal.*

pau-

pauperibus largiretur. Decennis Virginitatem Deo vovit, tantoque amoris igne succensa fuit, ut intus ardens, incendium vix ferre posset. Parentes adversarios experta, qui invitam nuptiis destinabant, oratione tandem, & prudentiâ expugnavit. Quare prævio eorum assensu, decimo sexto ætatis anno, Carmelitico habitu in Monasterio Sanctæ Mariæ Angelorum assumpto, se ipsam arctiùs cęlesti sponso consecravit. Tyrocinium ab eo gradu virtutis inchoavit, qui aliis supremus est; non enim gradatim ad perfectionem processit, sed Spiritu Sancto impellente à limine ad culmen repentino motu volavit. Emissâ professione, mundo, & sibi mortua est, ut Deo viveret. Ecstases ejus continuæ erant, mansitque aliquando viginti sex horarum spatio à sensibus abstracta, ad intimam cum Deo unionem, eò sublimiùs pertracta, quò longiùs à se ipsâ recesserat. In his autem excessibus, ejus astutias timens, qui se in Angelum lucis transfigurat, profundissimas humilitatis radices in sui cognitione figebat; nam se omnium mortalium sceleratissimam judicabat, eò magis sibi displicens, quò glorioſior erat in conspectu hominum, & Angelorum. Annos nata decem, & novem solo pane, & aquâ, Deo præcipiente, vesci cœpit. Exercitationes ejus erant, otium labore vincere, corpus flagellis castigare, inediam, dolores, suique contemptum amare, non pati. Mox admirabilem ecstasim passa est à vigiliâ Pentecostes usque ad festum Sanctissimę Trinitatis, diu, noctuque extra sensus rapta; post quem excessum,

ſum,rigidisſimam probationem ingreſsa eſt,per totum quinquennium arida,deſolata,ab omnibus derelicta, à dæmonibus crudeliter flagellata, blaſphemiæ, & deſperationis tentationibus vexata, ac ferè uſu rationis deſtituta. Sed non deſeruit electam ſuam Deus; ejus enim præſidio munita omni calamitate ſuperior fuit; aliquot etiam eo tempore patratis miraculis, ne puſillæ ſorores eam ſpiritu erroris illuſam exiſtimarent. Hac autem probatione peractâ potioribus gratiis aucta eſt. Pervia illi erant arcana cæleſtia, ſtatum animarum in alterâ vitâ perſpexit, quædam in locis remotis dicta, & facta, tanquam præſens vidit, & audivit, futura multa prædixit, intimas cordium cogitationes penetravit. Iugis in eâ ſerenitas erat, & jucunda tranquillitas. Omnem, vel minimam impuritatis labem non vicit, ſed penitùs ignoravit. Poſtremâ tandem infirmitate correpta, quam trium annorum ſpatio, in ſemel aſſumptâ auſteritate permanens, patientiſſimè toleravit, expleto quadrageſimo primo exilii anno, die vigeſimâ quintâ Maji, anno MDCVII. migravit ad Sponſum, ſtatimque fama virtutum ejus per totum Orbem diffuſa eſt. Tam in vitâ, quàm poſt mortem innumeris miraculis coruſcavit. Ex his autem octo à vivente patrata, duodecim poſt mortem Congregatio Sacrorum Rituum approbavit, quæ utpotè omnibus nota breviſſimè perſtringo. Rapta in ecſtaſim, dum acu pingeret, licèt extra ſe poſita, clauſis etiam feneſtris, oculisque velatis ab opere non ceſſabat, ipſumque abſolutiſſimè perficiebat. Quan-

dam

dam mulierem ab ulcere peſſimo, aliam à nervorum attractione, duas à leprâ, unam à morbo apopletico, aliam ab ulcere, & febri ſolo contactu repentè ſanavit, unam denique à dæmone horribiliter obſeſſam, producto in eam ſigno Crucis, ſtatim liberavit. Poſt mortem cadaver ejus non exenteratum, non aromatibus conditum, & in loco humidisſimo ſepultum, integrum, incorruptum, flexibile poſt annum repertum eſt, ſuavisſimum odorem ſupernaturaliter emittens, liquorque ex eo effluxit medendis infirmitatibus ſalutaris. Mulierem jam acceptâ extremâ Vnctione animam agẽtem à morte præſervavit. Alias à longâ, & lethiferâ febri, atq; acerbisſimis doloribus, ac infirmitatibus inſtantaneâ ſanatione curavit. Quibus ritè probatis Vrbanus VIII. Beatæ titulum, & cultum ei indulxit; novoque proceſſu de his, quæ ſupervenerunt fabricato, Sanctitas Veſtra alia quinque miracula approbavit, continuationem nimirùm incorruptionis, & fragrantię ſupernaturalis: multiplicationem olei in ejus Monaſterio bis peractã: & reſtitutionem viſus Mariæ Angelæ Gorinæ; ac proinde Sacra eadem Congregatio cenſuit, tutò poſſe quandocumque deveniri ad ſolemnem ejuſdem Beatæ Canonizationem. Supereſt igitur, ut Sanctitas Veſtra, Cauſæ jam numeris omnibus abſolutæ ſupremam manum imponat, coronidem Canonizationis adjiciat: pro quâ aſsequendâ ad pedes Sanctitatis Veſtræ humillimas preces porrigunt Imperator cum Auguſtâ Conjuge, necnon Regina Galliarum Chriſtianisſima, Magnus

Dux,

Dux, ac Magna Ducissa Etruriæ, qui natam sibi subditam Patronam venerantur, aliique Catholici Principes ferè omnes, & universus Carmelitarum Ordo.

HVCVSQVE Cardinalis Præfectus: quibus auditis, Sanctissimus denuò super iis Cardinalium sententias rescire voluit his verbis. *SS. Card. sententiæ requirit.*

Audistis pariter quàm præclaris virtutibus, ac miraculis divina bonitas decoraverit Beatam Mariam Magdalenam de Pazzis. Videtur ne vobis opportunum, ut ad solemnem etiam illius Canonizationem deveniamus?

VNANIMI consensu, & unâ voce Cardinales responderunt, *Placet*.

Finito Consistorio, D. Casalius Congreg. Sacr. Rit. Secretarius pluria exemplaria Relationis vitæ, virtutum, miraculorum, necnon Actorum in causâ eorumdem Beatorum, Cardinalibus, & Episcopis consignari curavit, ut iis attentè perlectis suam quisque posteà sententiam in semipleno Consistorio, præmissâ maturâ consideratione, proferret. Mox Cæremoniarum Magistri publicum ita denunciari fecerunt. *Relatio transmittitur ad Card. & Episcop.*

Feria V. XXI. Martii, erit Consistorium publicum in Aulâ Regiâ Palatii Vaticani pro relatione habendâ de vitâ, virtutibus, miraculis, & Actis omni- *Consistor. publ. denunciatur*

nibus in causâ Canonizationis Beatorum Petri de Alcantarâ,& Mariæ Magdalenæ de Pazzis:necnon pro indicendis jejuniis,ac precibus ad explorandam divinam voluntatem ſuper ſolemni Canonizatione eorumdem Beatorum.

Eminentiſſimi Domini Cardinales intererunt cum cappis violaceis ex camelotto, Reverendiſſimi Domini Epiſcopi,Protonotarii,cæteriquè cum cappis laneis.

Qui interesse debent Cōsist. publ.

Ideò moneantur Eminentiſſimi DD.Cardinales, Decani ſeu antiquiores Epiſcoporum Aſſiſtentium, Protonotariorum, Auditorum Rotæ, Clericorum Cameræ, Abbreviatorum, & Votantium Signaturæ Iuſtitiæ, necnon Gubernator Vrbis, Oratores Principum, Principes ſolii, Conſervatores Vrbis, cæterique moneri ſoliti.

Consistor. publicum

PRAEDICTA igitur die, Sanctiſſimus ex Aulâ Paramentorum (ſic vocant) Pluviali purpureo Phrygio opere contexto, & mitrâ redimitus eminenti ſede ad Aulam Regiam delatus eſt: in quam præter Cardinales, Epiſcopos, cæterosque Romanæ Curiæ Prælatos, immenſa principum virorum, ac nobilium multitudo convenerat. Sanctitas Sua in parato ſibi Throno conſedit, & Romano ritu conſuetam adorationem excepit; tum verò conſidentibus Cardinalibus in ſuis ſedilibus, quæ à gradibus ſolii ab utroque latere in aream excurrebant, DD.Advocati Conſiſtoriales Alexander Comes Capraria, & Marcellus Severolus Nicolai Patris

tris coadjutor excellentiam vitæ, virtutum, & miraculorum, necnon Acta omnia in causâ B. PETRI, & B. MARIAE MAGDALENAE eruditis admodùm, & elegantibus orationibus hoc ordine retulerunt. Comitis Capraríæ Oratio hujusmodi fuit.

VIRTVTEM duris probari pariter, & gaudere, pervulgatum item, ac Sacrosanctum Oraculum est humanæ sapientiæ, ac divinæ, Beatissime Pater. Sanctitas verò, quę virtutum est omnium absoluta complexio, utrique parti sic constat, ut in arduis, asperisque sui semper faciat summâ cum voluptate periculum. Ita planè, ut quæ duo in hac mundi mole distracta sunt invicem, positaque longissimè, Cælum, ac Terram, uno in homine admirabili complexione conjungat, in quo sedem simul statuit gaudiorum, & luctuum. Contrario tamen ordine, posituque; nam in hac Orbis universi structurâ, voluptas, & beatitas summa tenent, cruciatus, & lacrymæ in infirma defluxere: At verò in hoc ipsius perbrevi, sed intelligente compendio, voluntarias pœnas largè sanctitas in extima membra dispergit, in cor intimum cælestes effusissimè ingerit, congeritque delicias. *Oratio de B. Petro.*

Id exempli, si quispiam unquam alius, Beatus Petrus de Alcantarâ cum omnium non commendatione solùm, sed miraculo luculenter exhibuit: Cujus si muta membra, vultum, & cutem aspiceres, illum omnibus addictorum suppliciis vivum

in ipsâ morte crederes ſimulacrum : ſi cor, & animum ex auditu vocis inſpiceres, unum aliquem eundem crederes è Civium numero Beatorum, in hoc Cæli ſuburbano cum colonis hominum filiis ruſticantem. Hîc verò cùm ſanctimoniæ ſummæ non inficiandus ulli ſit calculus, ex eo Petrus Sanctorum in terris cultu evincitur eſſe digniſſimus; quem adhuc ampliùs omnis ejus vita ſpectata virtutibus, celebrata miraculis, ſanctiſſimæ huic Sedi tandiù proponit, approbatque meritò candidatum.

Neque verò unquam Petrus in hac togâ non viſus eſt candidâ, qui nunquam innocentiæ ſtolam aut abjecit, aut polluit. Perparum tamen hoc eſt, Diuinâ gratiâ nunquam animum exuiſſe; plus illud eſt multò, virtutum decora tam properè induiſſe: quibus ſanè maturis non ille parem expectavit ætatem; quippè qui vivere viſus eſt cœpiſſe ſtatim à ſenio, ſed vigentis, ac floridæ ſanctitatis. Certè, præter artus exiguos, nihil in illo puero erat puerile, quod cerneres: Oris enim decôra modeſtia, inceſsûs inaffectata gravitas, compoſitio morum æquabilis, & ſuper hæc omnia tenerrima ſimul, ac ſolida pietas, illicò, impensèque in Deum ſuſcepta, & Dei causâ, in calamitoſos exercita, *Super ſenes illum intellexiſſe à puero conclamabant*. Sexennis orſus eſt divinæ conſuetudini per aſſiduas, altiſſimasque preces aſſueſcere, quarum liquidiſſimæ ſuavitati, cùm labra primùm admovit, non ſine faſtidio uſurpare oculis, nedum in uſum admittere oblectamenta poterat puerorum. Ita, gratiâ ante-

Pſal. 118

ver-

vertente naturam, *Prævênit Petrum Dominus in benedictionibus dulcedinis*: & futurus olim ipse in cœtu sanctorum, piorum, sacrorumque Virorum cœpit confestim familiaritate, & colloquiis delectari. Absit, ut qui Servatorem Deum, librum vitæ, animo semper, & corde versabat, profana unquam volumina, in quibus mortis jacta sunt semina, suis unquam manibus contrectaverit. Contrectavit verò interìm sæpè flagella ad irrogandos innocenti corpusculo cruciatus ex pietate sæviſſimos, contrectavit stipem ad alienam inopiam sublevandam: instrumenta servitiorum omnia etiam viliſſima contrectavit, ut sese sponte, impensèque in miserorum opem, obsequiaque demitteret. Psal. 20.

Ab literario ludo, cui cum fructu ipsi magistro admirando operam dabat Petrus, cùm scholis dimissis, ad fundendas preces in Templum sedulò se conferret, diù aliquando à genitore, viro sanguine, ac pietate clariſſimo, expectatus domi, dum rediret ad prandium, quæsitus deindè per famulum, orans clanculùm inventus est, post musicum organum in Odeo, adeò in Deum defixo, abstractoque à sensibus animo, ut evocantis nec voce, nec tactu, nisi geminatâ, auctâque vi, ab eo altiſſimæ contemplationis somno potuerit excitari. Quis non dicat, cum ipsâ penè naturâ ingenitam in tantulo puero fuisse indolem sanctitatis?

At enim scientię omnis Auctor, & Rector Deus, adeò capacem Petri animum nequaquàm diù in inferiori vitæ classe detinuit: illum namque sextum-

de-

decimum ętatis annum agentem in Lycęum myſticæ Theologiæ promôvit; quem ad Chriſti ſequenda in religiosâ vitâ veſtigia, non invitavit modò, illexitque dulcibus, efficacibus afflatibus peramanter; ſed ad ineunda Seraphica Franciſci clauſtra, viam prodigio ſterneńte perduxit. Dum enim ſuo nuncii mundi remittendi conſilio moram, aut obicem metuit à parentibus, ac propinquis, adeòque clàm iis, viæ ſe dat ad Franciſcanum Cœnobium Marleatenſe; demerſo in noctem die, ubi ad *Tietar* fluvium venit, per pluvios eos dies auctum imbribus, ac tumentem, hæſit anxius, omni humano ad tranſmittendum amnem præſidio deſtitutus: eo nempe, ut ſuſcepti conſilii auctor, vel ex ipsâ ope tam ſubitâ, tam divinâ, liquidiſſimè appareret. Poſitis humi genibus, Cælum precibus vix pulſavit, cùm divinum Numen orantis voto reſpondit; Acta extemplò res; inque alterâ ripâ priùs ſe Petrus collocatum vidit, quàm loco ſe moveri ſenſerit. Itaque ad Seraphicam vitam deportari viſus eſt manibus Angelorum. Ardore deindè Petri petente, tanto divinitatis, ac tam claro ſuffragio, à Cœnobii Præſide ſimul adſcriptus eſt ſuis, ſimul ipſe virtutum in ſe omnium, Chriſtianæ humilitatis, paupertatis evangelicæ, religioſæ diſciplinæ, ardentiſſimæ charitatis, contemplationis altiſſimæ petita ab aliis, & ab ſe promota exempla tranſcripſit; celſior illinc etiam, quòd omnium ſe infimum, viliſſimumque diceret, ac putaret. Ad ſua expectanda, cognoſcendaque decora Chriſtianâ demiſſione cæ-

cus animo, ad videnda etiam, ac dignoſcenda, quæ in aſpectum incurrebant ab ſeveriſſimâ modeſtiâ, uſum penè oculorum amiſerat. Odeo itaque Templi, quod tam ſæpè quotidiè frequentabat, fornixne impoſitus, an laqueare eſſet inductum: ſuum ipſum cubiculum lapidibus-ne, an lignis conſtructum eſſet, & obvia paſſim cætera quaſi novus, alienuſque, quænam illa eſſent, & qualia neſciebat. Verùm qualis ipſe, quantusque eſſet, in oculis omnium erat, & linguis: quibus adeò ſuam in Chriſti militiâ probationem Tyro tempore, veteranus meritis cumulatiſſimè approbavit. Ac tùm, aſſenſu omnium unanimi, Deo ſe religiosè, ſanctèque ſolemnibus Profeſſionis emiſſæ votis obſtrinxit: quorum non habenâ, ſed ſtimulo ſanctitatis, quem ingreſſus eſt, callem incitatione ſemper gradu perrexit inſiſtere.

Annos jam in tantâ virtute quis computet? ut ipſa tamen virtus pluris æſtimetur in Petro, computemus & hos. Annos natum viginti non ampliùs (quod novum in eâ familiâ fuit) Cuſtodem ſibi Petrum Franciſcani Patres in S. Mariæ Angelorũ Caurienſis Diœceſis Cœnobio, conſpiratis omnium votis, atque ſuffragiis præfecere. Præfecere nimirùm illum, cujus juvenili vultui canos morum gravitas aſpergebat: illum præfecere, qui nihil de honore ſibi, niſi onus acciperet: qui ſupra alios nullâ re aliâ, niſi virtutibus emineret: qui vivam ſe regulã omnibus exhibens, & ſi parcè verbis juberet, cuſtodiam tamen legum omnium ſeveriſſimam abundè omnibus

bus imperaret exemplo. Murum in primis sui fortissimum paupertatem, ne labem ea faceret ex ullâ parte vel minimam, omni Petrus curâ, studioque cavit impensè; in quâ illud in cæteris rigidè voluit custoditum, ne domi provisum aliquid ad vescendum per emendicatas, oblatasque piorum eleemosynas haberetur. Quod aliquando tamen in Dominici natalis pervigilio conquesti plusculùm cum ipso sunt fratres; quòd eo nimirùm die res omnis cibaria domi deesset, oleribus etiam in horto ab altâ nive mortuis, ac sepultis, viisque ab eâdem omnibus ad opem emendicandam obstructis; Quibus amanter ipse cum jurgio: *Quid*, inquit, *soliciti estis? multis passeribus pluris estis vos, sperate in Domino, & ipse vos enutriet.* Patentem ad Cælum viam nulla nix obstruit. His porrò enixè conceptis, eò animum fiduciâ erectum mendicus Dei Petrus intendit. Statimque auditum sese æris ad ostium pulsati signum admonuit. Iubet adiri exploratum, nunquid opis egentibus submitteretur è Cælo. Adeunt impigrè, sed recluſis foribus, præter vestibulum nivium aggere obsitum, nihil inveniunt, redeunt languidè, narrantque rem tristes. Rursus illorum diffidentiam Petrus insimulat: ac denuò interìm pulsatur ad januam: reditum illuc Petrus imperat: atque inibi tunc impositum nivibus canistrum inventum est amplissimum, optimisque panibus cumulatè refertum: neque verò, à quo illud eò missum, à quo comportatum, aut quà, humano ullo vestigio potuit apparere. Apparuit porrò tunc evidens miserentis

Matth. 10.

Dei

Dei vestigium: cui proindè omnes, & eam opem acceptam meritò retulere, & ob eam gratias egerunt ex animo immortales.

Suo gregi bonus verè Pastor invigilabat Petrus. Eat aliquis, si potest, inficias; ne momento quidem temporis à precatione illum cessasse, Sanctissima Virgo Theresia (quale hoc quantumcumque testimonium) affirmavit, nunquam certè ille suis indormit, qui vigilat Deo semper precibus. Somnum verò reficiendæ naturæ commune remedium quantum Petrus oculis, & quale dabat? Vnius tandem horæ, sed cum cruciatu non uno, deliciæ cubantis erant, si quando, perrarò tamen, saxum capiti, suberam corpori tabulam instratam pelle supponeret: cæterùm flexis eâdem in tabulâ genibus, & capite infixo in parietem stipiti incumbente, somni præduri particulam, eamque concisam, maximè ab illiso in stipitem capite dormitante capiebat. Argumento certè, quàm molliter in dilecti sui Servatoris Iesu sinu dormiret, qui corporis somno tam brevi eas culcitras, ea fulcra concederet.

Atq; hic quidem Petri lectulus: quale cubiculum? quà longum erat (eâdem teste Theresiâ) quatuor palmi, quà latum tres tantummodò finiebant; altitudo ipsius corpore minor erat, ut ibi, aut jacêret, aut staret, nunquam posset, nisi contractus includi: Virum tantum tantæ capiebant angustiæ. Sed enimverò nisi major mundo ille fuisset, nunquam de mundo tam parùm vendicasset sibi, tam nihil. Neque verò plus ipse de divinis sibi tribuit, quàm de hu-

manis: Quo enim in loco virtutem ſuam tantam habebat? in nullo. Nemo digniùs divinum ad aras Agnum immolat, quàm qui Agnus ipſe innocentiâ, divinæ ſit idem victima charitatis. Vtrumque ſanè in oculis omnium erat Petrus, ſed unus ſe ipſe ſapienti Chriſtianæ humilitatis ignorantiâ neſciebat. Quare obedientiæ fuit adigendus imperio, ut ſacris myſteriis initiari ſe ſineret. Virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris voluntariæ ſuæ caſtigationis, & contemplationis ſuaviſſimæ quotidiè divino igne ſacroſancti Altaris admota, quid faceret, niſi odorem longè, latèque fundens ſuavitatis, non animum modò alienatum à ſenſibus evaporaret in Cælum, ſed ipſum etiam corpus animi ſequax, altum à tellure ſuſpenderet? Numinis interìm conviva regalis in torrentem ſeſe mergens cęleſtium voluptatum, quod pleno redundabat ex animo, per oculos effundebat in rivos longè uberrimos lacrymarum. Hoc porrò ſi Altaris eſt, ubique Petro fuit Altare. Cum enim in Cælo ſemper animo verſaretur, in ipſo paſſim itinere abreptus à ſenſibus, uno, alteroque cubito elatus ingredi, dulciſſimisque lacrymis colliqueſcere cernebatur.

Tam verò altus quid interìm ipſe non cerneret? aut tanto colluſtratum lumine, quid lateret? Divinarum Scripturarum arcana oracula, & profunda, in illâ inaceſsâ Cæli luce liquidò, explicitèque diſcebat, quæ deinde ad frequentiſſimum populum, Præpoſitorum juſsu etiam ex tempore tantâ cum vi, ac ſpiritu evolvebat, ut illud in Petro intelligerent omnes,

nes, ac dicerent, *Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*: adstipulante veritati multitudine mortalium plurimâ, qui animis altè compunctis, expiatione scelerum, morumque emendatione Deo sese Petri adducti divinis persuasionibus, adjungebant. Tam prono illapsu Petrus in corda per aures, immò per oculos descendebat. Quanquam enim pollebat verbo plurimùm, plus tamen adhuc valebat exemplo. An non alios ad Christum attraheret? cui se ipse inter concionandum arctè adeò devinciebat, ut defixis in illum, è Cruce pendentem oculis in ipso suggestu spectante populo, raperetur in ecstasim. Sanctitatis tantæ argumento tam certo, tam claro, quem ille non raperet in amorem Dei in admirationem sui? Rapiebat sanè in utrumque. Sed quantùm illud omnibus expetebat votis, omni studio perquirebat, tantundem hoc oculis, animoque respuebat penitùs, & horrebat. Bonus utique Trapezita rationes suas ex evangelico calculo prudentissimè supputabat: *Quid enim prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Quam Petrus jacturam, ne vel minimam faceret, procul ab se titillationem omnem gloriolæ, virtutis cariem, virusque, & pestem animi habiturus, à concionibus, & provectiore ætate prorsus abstinuit, & cùm illas habuit, statim ad vilissima munera, domi, forisque, atque ad despicatissima primò ministeria pauperum descendebat. His igitur eleemosynam mendicus ipse erogare quotidiè; suoque modicissi-

Matth. 10.

Matth. 16.

mo cibatui detrahere aliquid, quod in eorum alimenta converteret: atque interim fercula iis divini verbi lautiſſima in meliorem materiati cibi cumulum miniſtrare. Paſcebat Petrus corpora egenorum, & animos: ipſe utriſque paſtis charitatis adjiciali convivio veſcebatur.

Majus his tamen & illud exiſtimo; amorem Petro latebrarum, & anguli, Chriſtiana humilitas, ſtudium pietatis, & neceſſitudo cum Deo intima conciliabant. Avellebatur tamen inde ejus, quæ regina virtutum eſt, Charitatis imperio, quæ Petrum ab arctiſſimo illo Dei complexu per preces ad hominum conſuetudinem avocabat: ubi enim de ipſius ſanctimoniâ longè, latèque fama percrebuit, confluere ad illum omnes ſummi, medii, infimique, ut ab ipſo alii ſalutis, alii perfectæ virtutis ſemitam docerentur. Multùm proindè temporis coactus eſt tacitæ, quietæque ſuæ precationi ſubducere, ut ad Deum (quod Deo multò gratiſſimum eſt) animos plurimorum adduceret. Suo item in Ordine nequaquam diù permiſſus eſt uni ſibi vacare, quem aliis regendis ſubindè Cœnobiis communis omnium amor, & ſanctimoniæ tantæ exiſtimatio plurima deposcebat. Præficiebatur itaque Petrus aliis; ſed idem & animi, & corporis ſui magis, magisque ſubmittendi novas ſemper rationes, easque aſperrimas comminiſcebatur.

Laudatiſſimæ, ſæpiùſque laudatæ Thereſiæ ſermone reſcitum eſt, ſæviente per hyemem frigore, miſerumque Petri corpuſculum adurente, tugurioli

li ſui reſeratis adverſis ſibi oſtio, & feneſtrâ, ipſum rejecto ab humeris palliolo medium ibi tandiù conſiſtere, ad excipiendam brumæ, ventorumque inclementiam, conſueviſſe, dum denique à gelu membra exanimata torpeſcerent: ac tum, reddito humeris palliolo, clauſisque oſtio, ac feneſtrâ, quaſi corporis ſui gemitum miſeraretur, illud in ipſum dictitaſſe cum jurgio: *Caleſce nunc demùm, ac diſce de frigore remiſſiore non conqueri, ne deterius aliquid tibi contingat*. Diceres alienum corpus adjunctum illi fuiſſe, non ſuum; niſi quòd tremebat ipſe, cùm alium quempiam cernebat vapulantem à frigore, cùm urebatur ipſe, ſpernebat.

Quid verò illud, quàm aſperum? quam immite? quòd detritum, pannoſumque ſaccum, quem ab religioſę vitę primordiis induit, non modò nunquam cum alio commutavit, ne tum quidem, cùm munditiæ honeſtæ causâ illum ablueret; iterumque ad ſui corporis injuriam, & cruciatum, humentem adhuc indueret, ſed quòd nudis omninò pedibus, apertoque capite præſentis, ut ajebat, Dei honore, ſemper inceſſit; excipiens perindè temporis utriuſque ſævitiem; ſic ut capilli nivibus, geluque per hyemem concreti decidèrent: rurſum cervix ulceribus à candente per æſtatem Sole fatiſceret? Stimulos illi ſubjiceret carnis laniſta Tartareus; gelidam, tempeſtate perfrigidâ, habebat aquam Petrus, in quam ſe mergens ardores illos impuros corporis generoſâ animi virtute reſtingueret; ſuumque intereà incendium flammis acerrimis invidiæ urentis incenderet.

Et

Et adhuc acrius multò incendiarium illum exuſſit, cùm uno anno quadragenario minor, Provinciæ Sancti Gabriëlis Moderator omnium ſuffragiis renunciatus, primævam Ordinis ſui formam in ſubjectos ſibi religioſos viros inducere omni vi, ſtudioque contendit. Tunc vetus, ac veterator anguis ſuum virus in languidâ frigentium fratrum pectora ſpargere; eorum acuere, ac vibrare linguas in Petrum; afflatam ſpiritu veritatis ſalutem ſuâ mendaciorum, errorumque colluvie inficere penitùs, ac difflare. Petrus contra hortari omnes ſuaviter, animare fortiter, flectere patientiâ multos, ſubmiſſione plures erigere, omnes denique privatis obſequiis, miniſteriis publicis, exemplo virtutum, vel denique vincere, vel certè confundere. Verùm cùm in veteri ſolo ſementem ſuam illam novam Petrus provenire feliciter haud poſſe cognoſceret, in ſuâ Sancti Gabriëlis Provinciâ nova excitavit Cœnobia, in quibus ii conviverent, qui in complexum ire vellent ſeverioris ejus, ſanctiorisque diſciplinæ. Tum verò S. Franciſci perfectionis veſtigiis inſiſtens, unà cum Fratre Martino à S. Mariâ Provinciam Montis Arabidi in Luſitaniæ regno fundavit. Ac rurſum à confluentium in ſua clauſtra virorum multitudine timens ſibi famam, & gloriam, in ipſo penetrali montis Arabidi in ſpecum ſeſe abdidit ſepulchralem: ſepulchralem inquam in ſpecum, ſi credas oculis, abdidit ſeſe, ſi nare explores animi ſagaciore, florentiſſimum ibi Cæli viridarium odoreris. Cibi, ſomnique tam parum, verberum, pœna-

narumque tam multum, apparatum, pompamque referunt mortis, ac tumuli; imaginem contra, vitæ, Cælique exhibent, raptus illi contemplantis animi perfrequentes; & infusa interim cordi liquidissima gaudia Beatorum. Pertrahit & nunc undique effusa quoquo loci fragrantia peregrinos. Indè Petri tuguriolo reverentia, cultusque passim insignis, à quo visentes insolitę pietatis suavitate mirificâ perfunduntur.

Ecquid igitur? tantum bonum sylvæ-ne, dumtaxat sibi haberent, & caveæ? Ambivit Petrum & Aulâ, exoptarunt & Reges. Carolus V. Augustus, & Ioanna Austriaca Lusitaniæ Princeps efficacibus, geminatisque literis illum sibi à confessionibus poposcere: Quid Petrus? oblatum sibi honorem modestiâ summâ, parique constantiâ recusavit. Dignissima quidem Principum celsitudo, Regumque majestas est, quibus suam primò operam viri sanctimoniâ florentes impendant; quorum à pietate commune bonum, atque felicitas derivatur in populos: verùm ipse Rex Regum Petrum sepofuerat sibi unicè in humili tuguriolo, paupereque cultu vacantem: novamque ac sanctiorem formam non Principibus, at religiosis ex Franciscanâ familiâ viris ab eo volebat authore describi pariter, ac decerni. Provinciæ itaque Sancti Gabrielis Definitor, ejusque Custos iterum nuncupatus, indè Romam eo consilio profectus est, ut novas ibi arctioris disciplinæ Provincias ex paupertate, ac perfectione Francisci primigeniâ excitaret. Verùm in se magis ipse mo-

tus

tus illic excitavit ingentes: fretus Deo tamen excepit illos immotus: & quod divino à Numine immissum sibi consilium mente susceperat, illud sibi à filiis hominum nequaquàm passus est, vel eripi, vel infringi. Animos proindè Minoritarum, quos ab Observantiâ nuncupamus, ab suâ mente prorsus alienos expertus, eorum, quos Conventuales dicimus, Franciscanorum Generalem compulsus est proposito suo fautorem adsciscere: Ac tum Apostolico Pauli IV. diplomate Generalis in Hispaniâ Commissarius dictus est Petrus, ad novas inibi strictioris disciplinæ Provincias excitandas.

Gratiis Deo actis immortalibus, spei plenus ingentis, fore ut Dei gloria ex novâ sanctimoniæ fruge magna caperet incrementa, ad ea jacienda semina reditum in Hispaniam maturabat Petrus. Illud verò ipsi evênit in viâ non commemoratione solùm, sed & admiratione dignissimum. Fessus ab itinere ad Cœnobium semel Minoritarum de Observantiâ divertit; cognitum hominem admisit nempè Ianitor, clausoque statim ostio, perduxit in claustra: Ac tum conviciis illum omnibus affluenter incessere, appellare Ordinis sui probrum, & labem, impostorem, transfugam, desertorem: mox ad eadem convicia cæteros ex omni Cœnobio evocare: & illi quidem properè, avidèque confluere, nec habere satis, verbis in Petrum contumeliosis agere, sed tanquam flagitii cujusplam nefarii reum conspiratis votis, efferatisque vocibus illum ad probrosa item, & cruenta palàm verbera postulare. Quid

hîc

hîc Petrus, jam non modò *extraneus fratribus ſuis, & peregrinus filiis matris ſuæ*, ſed is ampliùs, cujus erant exploſi nempè, atque exculcati *hominis inimici domeſtici ejus*, eo dumtaxat nomine, quòd eos communi Parenti Deo vellet ipſe arctiori charitate cõjungere? Num-ne alienam ſugillavit invidiam? audaciam objurgavit? num-ne ſuam innocentiam argumẽtis ovicit? auctoritatem Pontificis literis oſtentavit? Immò verò novus Crucis ſanctæ diſcipulus, Deique patientis optimus imitator, non ſe *in flagella* modò *paratum* exhibuit, ſed ardentiſſimam patiendi ſitim ſi minùs expleturus, at ex parte ſaltem aliquâ conſolaturus, nudavit extemplò terga, atque, ut in ſeſe, velut in coopertum flagitiis omnibus reum, quàm ſeverisſimè omnes animadverterent, enixis precibus obſecravit. Quale ſpectaculum! quis à quibus ignominioſis virgis addicitur? Et injuriam hanc tantam admittant clauſtra? Cælum ferat? Immò verò non admiſere clauſtra, quia Cælum haud tulit. Vbi enim ad excipienda palàm in communi cœtu verbera, veſtes Petrus rejecit ab humeris; iique flagris liventes, ac laceri, pectus cuſpidatâ bracteâ perfoſsum, artus aſperam in catenam induti, membra omnia hiſpido incluſa cilicio apparuere, pudor primùm, pallor deindè intuentium ora ſuffudit: tum cecidere ex animis iræ, dolor corda compunxit, contumeliæ in laudes, odia in amplexus, ulciſcendi fames in inſtructa charitate cõvivia migravere. Parum & hoc; quem execrati erant, ut transfugam, illum non excepere modò ut hoſpitem,

Pſal. 68.

Mich. 7.

Pſ. 37.

& amicum, sed uti domesticum, intimumque suis ab ædibus, suoque à complexu abstrahi non ferebant.

Abstraxit ipse se tamen: & quibus sanctimoniæ tantæ tam clara exempla reliquerat, eorum obstrictos sibi animos secum tulit. Inde pedibus in Regnum Castellæ profectus; ac prope ab Oppido, cui nomen est à *Pedroso*, locum nactus peridoneum, primam novæ familiæ instituendæ domum extruxit, mole tam modicam, ut compactam aviculis caveam, non excitatum hominibus domicilium meritò nuncupares. Et adhuc tuguriolum illud piè visentibus majori semper miraculo fuit, quàm olim magnificæ, insanæque Cæsarum moles: atque ipsa cum primis Petri cellula, quæ tantâ in angustiâ rectum hominem non admittit; sacro ipsius cruore largè respersa ostentat omnibus ingentis illius impressa ibi vestigia sanctitatis. Quid verò? uni ne homines in illâ cellulâ devenerati sunt Petrum? immò & belluæ jucundo sanè prodigio illius suffragatę sunt nomini.

Simplicitatis ingenuæ puer Petri cultor, amansque, jumento vectus plenum panibus canistrum eò ad illum eleemosynæ causâ ferebat; jamque dies se in noctem induerat, cùm ad Tagum venit. Hîc verò bellua ad impervium altis aquis flumen hærere: Puer, quid impedimenti esset, per tenebras nequaquàm videns, increpare illam vocibus, & urgêre: restitare tamen contumaciter illa; nec se quoquàm loco movêre: eam denique victurus argumento

Puer:

Puer: *Age*, inquit, *age morosa*, *pigerrima*, *cur progredi non vis, quæ cum eleemosynâ Petrum petis*? Persuasit nempe: bellua enim, audito vix Petri nomine, in fluvium sese immisit, solidasque calcavit undas,& transiit.Id verò miraculi reditus mox evidentiùs comprobavit; cùm idem fluvius altus, ac præceps trajici ope cymbæ vix potuit.

Exinde plurimas in Provincias, non in Hispaniâ solùm, sed altero in Orbe in Philippinis Insulis, & Malucchis, in Sinis, atque Iapponia, sanctissimum strictioris Ordinis institutum disseminatum est:Pervagatâ jam in terras omnes Petri sanctimoniâ, sementem ubique faciente uberem,ac felicem ità planè, ut in Cœnobiis, quæ jam supra trecenta numerantur, ea paupertatis, ac perfectionis evangelicæ fruges existat,quæ utriusque Ecclesiæ horrea,& militantis exemplo, & triumphantis gaudio impleat sanctitatis. At ipsi interìm Petro, *Quem constituerat* *Luc. 12.* *Dominus super familiam suam, ut daret illis in tempore tritici mensuram*, quis annonam inferebat in horrea? quis instruebat penum? quis cellam vinariam adornabat? Paupertatis amor, & cultus suâ semper vacuitate pleniſſimæ,& nihilo locupletis.Et ipse quidem *pane* semper *arcto, & aquâ brevi* contentus, affirmante Theresiâ, tertio ferè die, interdum octavo,vix buccellâ panis,& gelidâ modicissimâ reficiebat sese: quibus ad delicias Dominicis diebus cepam addebat,aut allium:siqua verò legumina sibi perquàm rarò concederet, illa injecto cinere condiebat. Denique ciborum abstinentiam summam usu verterat in naturam. *Isa. 30.*

At verò, ubi ſuorum ſalutem ab rerum inopiâ ultimâ in diſcrimen adduci conſpiceret, ex cenſu fiduciæ, habebat ipſe, quibus iis occurreret, in numerato miracula. In quibus illud eſt oppido luculentum. Ioannem de Neirâ ſuum in itinere comitem defectum ſiti, fameque confectum ſemel Petrus advertit. Vacuis omninò nihil erat in loco ex humanâ ope levaminis: ſed Petro interprete aderat ex divinâ. Preces ille protulit ex opulentâ cordis arcâ numos optimæ fidei, ac ponderis cumulati: emptor frugi à Deo dante pellucidum illicò fontem ipſo in loco ſcatentem, & coctum cum pane piſcem ultrò ſe offerentem accepit. Inde Ioanni ſedata fames, & reſtincta ſitis eſt: Petrus verò ſocio recreato ſatur, perrexit ire jejunus. Quid jejunus? potiore hominis parte, animo, ſemper divinæ *dulcedinis*, in quâ *paraverat pauperi Deus*, epulo veſcebatur. Eo liquidiſſimo cæleſtium voluptatum intritu, acerba, amarulenta omnia, ipſæ verberationes, catenæ, cilicia, jejunia ipſa, atque vigiliæ; inclementia temporum, atque ultimæ egeſtatis incommoda, mulſum illi, ac mel, pura, ac puta divini nectaris pocula ſapiebant. Vſque adeò guſtum mutat ſanctitas, cui guſtato ſpiritu deſipit omnis caro.

Pſal. 67.

Et omnis cum carne tellus diu jam deſipuerat Petro. Cœlo proinde, quod quantum homini fas eſt, largiter præguſtarat in terris, plenè frui, votis omnibus expetebat. Et ſuis quidem membris, omni cruciatuum genere funus ipſe fecerat ante mortem. Inarata frons rugis, obſitus ſquallore vultus, rece-

dentes

dentes introrsum oculi, exesæ nares, exucta labra, atri dentes ac luridi, gracile collum ac rigidum, debiles humeri & incurvi, artus denique omnes asperi, ac stupentes, ambulantis cadaveris imago, non hominis, animum Petri non eo in corpore, ubi animabat, sed in Cælo, ubi amabat, esse liquidò persuadebant. Atque hæc ipsissima Petri effigies est, atque descriptio. Hanc ipse genibus, manibusque reptans, cum pedibus ire neutiquàm posset, in Odeum, ad degustandas Psalmodiæ delicias, inferebat; animum mox, in quem recesserat decor omnis è membris, Choris Cælitum suavissimè illaturus. Eam in patriam beatissimæ perennitatis viam illi stravit urentissima febris, suam conferentibus operam doloribus longè sævissimis: qui excipiendi ultimò, supremumque salutandi à Petro adfuêre frequentes. Neque ille interìm, cum mortis arctaretur angustiis, quicquam de vitæ suæ severitate remisit: ne scilicet desineret ante pati, quàm vivere. Viri tam sancti, Patrisque tam cari jacturâ mœrebant omnes, unus ipse dissolvi cupiens, & esse cum Christo, cælesti planè gaudio gestiebat: affusosque sibi suos, lacrymisque perfusos sumere pro se jubebat lætitiam, qui mox in beatos, æternosque divini Numinis amplexus esset iturus. Sanctissimâ denique sacrorum mysteriorum ope munitus, pendentis è Cruce Dei Servatoris imaginem suavissimè exosculatus, abstractus animo à sensibus est: quibus deinde redditus *Lætatus sum*, inquit, *in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus*. Quo verò, quantoque est ingressus *Ps.* 121.

co-

comitatu, ac pompâ ? Salutari Crucis ſigno ſuis benè precatus, *Fratres*, inquit, *mei, num-ne Diviniſſimam Triadem non aſpicitis, Dominamque meam inclytam Deiparam Virginem Mariam, unàque Sanctiſſimum Evangeliſtam Ioannem*? Hæc ubi provolutus dixit in genua, ab hujus mortalitatis ergaſtulo ſanctisſimum ſolvit animum, liberumque dimiſit, ac rectâ ſuſtulit jucundisſimam in patriam civium Beatorum.

Defixis tunc fortè oculis Thereſia intuebatur in Cælum, eique Petrus longè ab Oppido de Arenâ, in quo decesſit ipſe degenti, ſeſe ſpectandum dedit, aitque, *Pergo ad æternam gloriam.* Id illa ut vidit, incredibili gaudio diffluens ſacris ſuis virginibus, & ipſis eam ob rem geſtientibus indicavit: octavoque poſt die nuncio illuc de Petri morte perlato, eum in idem ipſum, quod Thereſia affirmavit, temporis momentum incidiſſe conſenſit; decimoquinto Kalendas Octobris, anno à Partu Virginis ſupra ſeſquimilleſimum ſexageſimo ſecundo, ab ipſius ortu tertio, & ſexageſimo. Semel deinde, iterumque Sanctisſimæ eidem Virgini ſeſe in aſpectum dedit clarisſimis ingentis gloriæ radiis circumfuſus: quæ ſibi quo parta merito eſſet adjiciens, *O felix*, inquit, *Pœnitentia, quæ tantum præmii meruiſti* ? Obtulit rurſum eidem ſeſe cum Chriſto. Atque hîc, *Nihil*, inquit, *à me Petri nomine petetur, quod ego petenti non annuam.* Ejus verò promiſſi experimentum à ſe ſumptum fuiſſe Thereſia affirmavit. Ita gratiam, vicesque Aſſertor hominum Petro repoſuit. Cum enim nihil cuiquam Petrus ab ſe petitum Chriſti nomine ne-

ga-

gaviſſet, omnibus omnia Chriſtus daturum ſe Petri nomine ab ſe poſtulata, recepit.

Supereſt nunc, ut quam in Petro prodigioſam fuiſſe ſanctitatem oſtendimus, eandem etiam fœcundam fuiſſe prodigiis commonſtremus. Quorum etſi aliqua, orationis decurſu, libata ſunt; alia nunc nonnulla ex Sacræ Rituum Congregationis cenſu incorrupto petita ſummatim, & breviter, prout exigit, jubetque præſens temporis ratio, extremo loco perſtringam.

Ad Tagum aliquando Petrus immodicâ aquarum eluvione tumentem, ac rapidum, adeòque vix cymbâ innabilem ſolus venit, ſocio valetudinis affectæ causâ relicto divinam opem confidentisſimis precibus imploravit: eâ tunc fretus fluvium iniit: isque ſanctimoniam Petri reveritus, ſolidas undas trajicienti ſubjecit.

Querebantur quandoq; cum Petro fratres, quòd in horto Cœnobii Sanctæ Mariæ *de Pedroſo* nulla conſita eſſet ficus. Baculum Petrus, quo imbecillitatis causâ uſus diu erat, infixit humi: at ille ficulneam in arborem extemplò virentem excrevit: ea deinde fructus ſuo tempore ſapidisſimos edidit, & nunc edit, plurimis etiam paſſim languoribus ſalutares.

Cœnobium de Arenâ Abulæ repetenti Petro in ſummo vertice montis, cui nomen eſt Portui *de Pico*, ningente effuſisſimè Cælo, nox ſupervênit: ſemitâ ad pergendum nuſquam apparente, rudera dirutæ, ac tecto carentis undique domûs ingreditur:

fundit

fundit ad Deum preces; ac tum moliente prodigio, ad tuendum, per eam noctem, à temporis injuriâ Petrum, parietibus inædificans ſubitum fornicem pendula nix inducit.

Alphonſus Sanchez faber lignarius popularis Oppidi *de las Quebas* Abulenſis Diæceſis, fracto cruri redintegrando, humanâ omni deſtitutus ope jam erat: ſed hanc ad Petri tumulum, quo confûgit, paratiſſimam invênit; redditus nimirùm ibi momento temporis integræ ſanitati.

Maria de Paramo Toleti ſontico morbo in vitæ deſperationem, judicio Medicorum, adducta, aquæ potu reliquiarum Petri attactu conſecratæ, ſubitam ſalutem bibit.

Maria de Velazquez in Oppido de Arenâ vidua perniciali febri increpedinem mortis acceſſerat: ſacro jam oleo ſupremùm inuncta, Petro ſeſe fiduciâ in illum multâ commendat; exilitque è lecto confeſtim incolumis.

Franciſcus Ramirez eodem in Oppido de Arenâ, ſexennis puer, contractis cruribus deformatus, lampadis ad Petri tumulum collucentis oleo inungitur ſimul, & ſanatur.

Iſabellæ Gonzalez eryſipelatis, quo laborabat, tumor oculorum uſum jam octo dies abſtulerat, admovet morbi loco funem, quo vivens Petrus ſeſe præcinxerat, tumorque actu tum evanuit, & uſus rediit oculorum.

Cæcilia Velazquez in Oppido Mombelitrano ab longo novem menſium oculorum morbo proximè

ad

ad orbitatem devenerat: caput in Petri tumulum vix immisit, cùm illud inde cum recuperatâ integrè luce protinùs extulit.

Elisabetham Fonsecam assidua cordis palpitatio Matriti biennio jam vexabat: Petri sepulchrum piè invisuram se recipit: simul ipsa votum emittit, simul ab ipsâ ægritudo dimittitur, & suæ quieti extemplò cor redditur.

Balthassari Rodriguez ex effracti utriusque lateris hiatu ilia defluebant: mortique jam imminens novendiales preces, salutis recuperandæ causâ, ad sepulchrum Petri devovit: inibi postremo die integræ redditus est saluti.

Mariam Alvarez de Soto à dolore, tumoreque manus Petri baculus ab eâ vix contrectatus asseruit.

Franciscæ Martinez Mombeltranensis Oppidana fracto pede triennio claudicans, desperatâ salute, ad Petri tumulum manibus, genibusque reptavit: ejus imploratâ ope, sano solidoque pede domum læta se retulit.

Bartholomæo Garziæ populari ex Oppido Sanctæ Crucis surditas utramque aurem obtuderat: aquam utrique ab attactu reliquiarum Petri sacram, & cum aquâ uno simul tempore auditum infudit.

Isabellæ verò Gonzalez à tribus jam mensibus obcæcatæ aqua eadem usum lucis, & oculorum impertiit.

Ioannem bimum puerum dextero in genu fœdo apostemate laborantem adhibitę fasciæ eâdem aquâ

madentes, illicò nullo morbi relicto vestigio persanarunt.

Andream Valez ferrarium in Oppido *Lanzaita* fabrum cruribus, pedibusque attractum alienæ manus ad Petri tumulum deportarunt, inde sospes domum suis ipse pedibus remeavit.

Balthassarem denique de Mendietâ puerum octavum ætatis annum agentem, debilem cruribus, pedibusque, genitrix Petro enixis precibus, multâque fide commendat; ac subitam filio, integramque salutem, confirmatis utrisque membris, exorat.

Atque hæc severissimo Sacræ Rituum Congregationis examine cognita, assensuque omnium unanimi approbata, innumeris penè aliis prætermissis, quæ ad trutinam vocata minimè sunt, testatissimæ voces primò Dei sunt, quæ à Sanctitate Vestrâ Petro de Alcantarâ, jure optimo, meritoque Sanctorum honores efflagitant. Divinæ menti assentientes suffragatores ejusdem accedunt Hispaniarum Regina suo cum filio Rege Catholico. Accedunt cum Hispano Clero Regni utriusque Castellæ, ac Legionis Vrbes, Sabaudiæ Dux, aliique Catholici Principes, atque universus denique Sancti Francisci Ordo Seraphicus.

Qui omnes humillimis, enixisque precibus Sanctitatem Vestram orant, & obsecrant, ne honorem hunc Petro debitum velit ultra dilatum: quo fiat, ut Christiana Respublica per interpretem apud Deum gratiosum adeò, ac potentem, privatam, & publicam, præsentem, æternamque felicitatem animo-

rum,

rum,& corporum cum fractâ Turcarum contumaciâ, cum errorum, & hæresum extirpatâ perfidiâ, cum Christianorum Principum jucundâ pace,atque concordiâ, cum Sanctitate Vestrâ diu Terris incolumi ad commune bonum servatâ, confidenter exoret.

FACTO à Comite Capranicâ dicendi fine,Reverendissimus D.Nerlius Archiepiscopus Florentiæ, Sanctissimo ab Epistolis ad Principes, stans in sinistro solii latere,Suę Sanctitatis nomine ita respondit.

Responsū Secretar. S. Pont.

PETRO de Alcantarâ ex Ordine Fratrum Minorum non minùs asperrima castigandi, & in servitutem redigendi corporis disciplinâ, atque fortitudine verè Magno,quàm susceptâ paupertatis arctissimæ nuditate longè ditissimo,cælestes in terris honores à piissimis Principibus, fidelibus populis, & universâ Franciscanâ Religione postulari, Sanctissimus Dominus Noster libenter audit; utque in re tam gravi deliberandâ, Ecclesiæ veteri more servato, ritè beneplacitum divinum exploretur, ad insistendum orationibus, jejuniis, eleemosynis, aliisque piis operibus,omnes,& singulos hortatur; tum ipse Venerabilium Fratrum suorum S.R.E. Cardinalium, & insuper Patriarcharum quoque,Archiepiscoporum,& Episcoporum omnium, qui in Vrbe reperiuntur, sententias exquiret.

In hunc sensum Sanctitas Sua respondere me jussit Orationi modò luculenter habitæ.

HAEC Archiepiſcopus Florentinus. Tum verò Abbas Severolus, factâ primùm de more verſùs Sanctisſimum genuflexione, deinde ſtans ſequentem habuit Orationem.

Abb. Severoli Ad. voc. Conſiſtorialis Oratio de B. Maria Magdal.

FORTIS animi gloria adeò ſupra fœmineæ imbecillitatis ſortem aſſurgere Sapientium Regi viſa eſt, Beatiſſime Pater, ut vix mulierem fortem inveniri poſſe crediderit, eamque ſi quando, quod eſt omninò rariſſimum, reperiri contingat, procul & ab extremis terrarum finibus eſſe petendam pronunciaverit. Quamobrem feliciſſima meritò patrum noſtrorum tempora dixerim, quibus hoc cæleſte munus ſpectare datum eſt in MARIA MAGDALENA DE PAZZIS. Feliciſſimum Sanctitatis Veſtræ natale ſolum Etruria, quæ ſeſe meritò ſupra cæteras, non dicam Italiæ, ſed Europæ totius, & Orbis terrarum univerſi regiones efferat tanto nobilitata partu. Vidit enim in Mariâ Magdalenâ de Pazzis parentum noſtrorum ætas, & nos filii miramur fortiſſimam planè virginem, quæ bella Domini militando eas retulit victorias, quibus non in veteri prophanæ Romæ Capitolio, ſed in ſanctiſſimo Chriſtianæ Romæ Vaticano cæleſtis triumphi honores jure mox poſtulemus.

Florentiæ, in ſolo ſcilicet Sanctorum feraci, nata eſt Maria Magdalena de Pazzis, anno poſt Virginis partum MDLXVI. ſecundo Aprilis, iisque parentibus nata eſt, quorum non minùs Chriſtiana virtus, quàm genus, longè ſupra vulgus eminebat,

quippe

quippe & Pazzii, à quibus puella ſanctiſſima Camillum patrem,& Bondelmontii,à quibus matrem Mariam ſortita eſt,in Vrbe nobiliſsimâ,clari in primis habebantur, futuri mox clariores per fortunatam ſobolem, quæ amplisſimum genus ab illis acceptum,majus,auctiusque poſteris relinqueret. Nec defuit non obſcurum felicisſimi fœtus indicium; mater enim faſſa eſt, ſe dum ventrem ferret Magdalenam paritura, nullam unquam ex iis moleſtiis expertam, quibus gerentes uterum torqueri ſolent, ac deinde tam quieta, tam ſuavis editæ in lucem puellæ indoles apparuit, ut nunquam ædes ſtridulis turbaret vagitibus, nunquam altrici pariter, & matri minùs eſſet jucunda ploratu. Quid, quod aperuere jam tum tenerrimæ ætatis anni, & ſimplices infantiæ mores, quæ in adultâ ſanctitatis eſſet futura maturitas,& ſpem magnam ſplendidisſimi Solis attulit domeſticis omnibus illa virtutum Aurora. Abdicatis enim omninò puellaribus ludis,ſummo tum ac cæleſti quodam ſolatio perfundebatur, cùm de divinis rebus diſſerentes audiret,ad quos ſitientes ſemper aures afferre ſoleret, atque ab his multa de Chriſtianis officiis, multa de religionis arcanis ultrò ſciſcitari, ac de Auguſtisſimâ præſertim Triade, erga quam miro quodam animi ſenſu rapiebatur;Quare cùm aliquando editam ab Athanaſio fortisſimo catholicæ rei propugnatore credendi normam nacta eſſet, non avidisſimè tantùm totam perlegit, ſed velut inventum quolibet Indico pretioſius margaritum vultu geſtientis præ gaudio

notas

notas præſeferente, aſſervandam detulit ad matrem. Vix eos attigerat annos, in quibus ex divino munere in homine intelligentiæ lumen accenditur, cùm manus cœpit ad pauperes extendere, quod in forti muliere commendatum novimus à Sapiente, nam tanquam in egenis tantùm eſuriret puella integerrima, non rarò ſubtrahebat ſibi, quod in pauperes diſtribueret. Illa etiam in parvulâ, longè ſupra modum ætatis viſa eſt, ſingularis nimirùm ſolicitudo, dum ruri præſertim degeret, ruſticas puellas Chriſtianæ doctrinæ rudimentis imbuendi, in quo munere ruſticādi delicias illa reponebat; quamvis jam tum & alias derivaret è Cælo in attentiſſimâ rerum divinarum contemplatione, quâ ut liberiùs frueretur, ſecedebat identidem in abditiorem aliquem domûs angulum, ibique excepto genibus corpore, palmisque ſuppliciter, aut ad pectus admotis, aut ſupinis, aut duplicatis, animum à ſenſibus avocabat, & ſpem omnem, amoremque quoad poterat transfundebat in Deum. Et quantus oranti virgini divini ardoris è Cælo calor incideret, duo præcipuè ſignificabant, dolor nimirùm, quem ex hominum in Deum offenſis tantum concipiebat, ut inſomnes aliquando noctes inter lacrymas traduceret, & fames quædam divini panis, quo dum nondum per ætatem veſci liceret, ejus odore recreari mirificè videbatur, atque ideò à matris latere, aliorumque domeſticorum, quos noverat cæleſti ferculo refectos, avelli vix poterat. At ubi primùm decenni licuit angelicæ menſæ accumbere, amoris te-

dâ

dâ vehementiore tacta, majoreque inflammata ſpecie ſanctitatis, Cælum mente complexa voluntariâ ſponſione florem virginitatis addixit Deo; atque exinde nullæ in victu deliciæ, nulla in veſtitu mollities, nullus formæ cultus, utpotè quæ non hominum amores ætatis, & venuſtatis flore colligeret, ſed ſolo virtutum decôre uni divino Sponſo placere ſtuderet.

Aetatis verò, ſuique jam victrix fortiſſima Virgo par erat, ut nobiliori victoriâ præteritarum gloriam augeret, & proculdubio fuit, cùm mortalibus rebus valere juſſis, à parentibus, quâ precibus, quâ conſtantiâ impetravit, ut Carmelitarum virginum diſciplinæ nomen daret in Cœnobio, quod meritò omnium officina virtutum habebatur. Quod illa Dei beneficium adeò ſemper habuit eximium, ut nullam ſibi feliciorem unquam illuxiſſe diem conſtanter diceret eâ, quâ ſibi divino munere datum eſt religioſis parietibus includi, quibus proinde non rarò amanter oſcula infigeret. Vix illa ad religioſam vitam traducta, ita ſe moderatricis virginis arbitrio fingendam dedit, ut nihil ſibi jam placere vellet, niſi quod illa probaſſet, diſplicere nihil, niſi quod eadem improbaſſet, quâ potiſſimùm arte brevi temporis intervallo adeò magnos effecit in virtute progreſſus, ut nequaquàm per gradus ad apicem ſanctimoniæ contendiſſe, ſed ad eam feliciſſimè evolaſſe videretur; Quare jam in omnium virginum auribus, oculis, animis habitabat Maria Magdalena; nulla etenim erat, quæ tantam virtutem non amaret, ſuſpiceret, prædicaret.

Neque

Neque mirum videri debet tantâ apud moniales opinione ſanctitatis valuiſſe Mariam Magdalenam; Quæ aliis ſororibus deſtinata laborum miniſteria ultrò ſibi depoſceret, atque ut ab his impetrata compleret, noctes inſomnes perſæpè traduceret, tanquam is labor, quo cæterarum quietem procurabat, ſomno ſibi longè ſuavior contingeret, hoc unum ab illis poſtmodùm, mercedis quodammodò loco, poſtulans, ut ſecum in divinis laudibus dies tranſigerent, hoc eſt beatarum mentium more quieſcerent, quibus Dei laudes concinere otium eſt beatiſſimum; Quod ſi nocturnos inter labores impar aliquando animi cæleſtis ardori virgineum corpus ſomno ſuccumberet, illa increpare, ac veluti reſtitantem equum flagellis urgêre non deſiſtebat, donec evinceret. Quæ nondum religioſis votis addicta Deo, illi adeò per amorem cœpit adhærere, ut à ſenſibus non rarò peregrinata, mente totâ raperetur in amantiſſimum Sponſum cordis, atque ab eo diſceret in illâ ſecretiori cæleſtium arcanorum ſchola ſublimioris philoſophiæ præcepta. Iuſſa proinde eſt duabus è probatioribus Cœnobii ſanctimonialibus aperire, quæ ſecretò ſibi à divino Magiſtro credebantur, quod illa uno parendi ſtudio præſtitit; nolebat enim à moderantium imperio, nè latum quidem unguem unquam abſcedere, cujus rei paulò poſt nobile dedit exemplum, cùm nimirùm, Deo mandante, ut ſolo cibario pane & aquâ contenta, reliquis omnibus in victu abſtineret, non priùs hujuſmodi jejunium aggreſſa eſt, quàm per eos id licuit,

cuit, quorum non tam imperiis, quàm nutibus regebatur.

Victâ jam per obedientiam, & profligatâ voluntate, corpore per jejunium ſubacto, duriora, & fortiora certamina præparabat Virgini æternus Pater, ut eò vinceret glorioſiùs, quò pugnaret atrociùs. Gerendum illi propterea cum Tartareis hoſtibus quinquennale bellum indîxit. At parem omninò, imò majorem tot hoſtibus adeò potentibus, adeò verſutis feliciſſima Virgo ſeſe longo quinque annorum experimento probavit. Nullam illi earum artium omiſere, quibus hominum corda ſolent impugnare, nec rarò expugnant, ſed illa divini Spiritûs præſidio communita, dæmonum vim & artes eluſit, & irriſit ſemper invicta; Quamobrem tanquam victrix, veluti adoreâ, & triumphali coronâ multiplici cæleſtium munerum cariſmate donata eſt ab amantiſſimo Sponſo, annulo nempe ſubharrata, & amantium animarum diademate, ſpineo ſcilicet, in ſydera poſtmodùm migraturo coronata.

Hinc jam cæteras virgines juſſa docere, quod ipſa tam feliciter didicerat, Præfecturâ primò juniorum, mox tyrocinii magiſterio utriuſque muneris partes cumulatiſſimè implevit, docuitque nobiliſſimo exemplo imperandi artes ab eâ poſſe tutò exerceri, quæ parendi ſtudio priùs excelluit; factis tamen, quàm verbis erudire ſemper maluit, ut quibus noſſet vim ſuadendi longè efficaciorem ineſſe. Vniverſo mox Monaſterio præpoſita, ut monenti Deo, & concordi virginum voluntati parêret, non

recusavit imperium, sed vix illud auspicata, eò morbo tentare cœpit, qui propemodùm primus, certè postremus illi fuit, ita rem omnem divinâ Providentiâ moderante, ut hæc Virgo invictissima, quæ mundum, ejusque illecebras, semetipsam, ac principes tenebrarum fortissimè dimicando vicerat, in postremo denique conflictu, per admirandam dolorum patientiam hostem hunc frequentissimum nostrorum corporum superaret.

Et quidni tot validissimos hostes Virgo longè validior superaret, quæ omnium præsidio virtutum armata pugnaret. Fidei in primis tecta clypeo, quo non solùm retunderet, sed retorqueret ignea dæmonum tela. Quę virtus, quanta in hac Virgine fuerit ex amore, quo erga fidei tesseram Apostolorum Symbolum rapiebatur, perspici potissimùm potuit, siquidem non semel, aut iterùm, sed sæpè illud magno sensu pietatis concinendo supra naturam corporis extra sensus ferebatur.

Quæ verò fidem consequitur Spes, una fuit, quæ illam à primâ usq; adolescentiâ docuit, ea pro nihilo habere, quæ homines per ignem, ferrumque peterent, siti meliorum, hoc est æternorum accensa.

Sed si quæ virtus in Mariâ Magdalenâ visa est floruisse, ut plurimæ dubio procul floruere, ea potissimùm visa est, quæ cæterarum meritò princeps, & habetur, & est, Charitas. Frons, vultus, verba divinum in hac Virgine semper amorem spirabant, & quanta in ejus corde flamma divinæ charitatis arderet, vel negligentiùs intuenti palàm faciebant.

Ejusdem

Ejuſdem ardoris indices erant crebra, atque ignita ſuſpiria, quibus divinum cordis æſtum ventilabat. Omnia Mariæ Magdalenæ dicta, ſalutationes, colloquia divini amoris mentione condiebantur, ſine quo nihil amanti Virgini ſapiebat. Idem divinus amor eam per clauſtra, per hortum, veluti lymphatam ſæpè rapiebat, cogebatque in eas voces *O Amor non benè notus, non benè redamatus, tot injuriis affectus, ò quàm pauca pectora te norunt; Ego pectus meum exhibeo, veni ad cor meum, ut fovearis* erumpere ardẽdentisſimæ charitatis indices; quæ nõ cõtenta animũ occupaſſe, adeò etiam corpus invaſerat, ut flammas frigidâ temperare neceſſe haberet; Quamvis amaret illa ignem amoris, quo cruciabatur ſimul, & fovebatur, atque adeò amaret, ut inferorum ignes ultrò ſe ſubituram aſſereret, dummodo eos inter ardores inſanas ſceleſtorum contumelioſè in Deum debacchantium voces non audiret. Quid hîc vim illam cæleſtis ignis commemorem, quæ mente Virginis à corporis conſortio ſevocatâ in altiſſimo quodam exceſſu per plurimas, non dicam horas, ſed dies omninò ſolidos non rarò detinuit? Profectò mihi hujus Virginis vitam attentiùs conſideranti, non tam vixiſſe, quàm amaſſe, nec tam amaſſe, quàm in amorem verſa fuiſſe videtur. Neque meum hoc tantùm, ſed omnium planè judicium foret, ſi Virginem contigiſſet aſpicere vultu ex divinâ charitate ardente ſemper orantem, ſi ſacrarum precum penſum incredibili ſenſu pietatis perſolventem, ſi cæleſtes epulas in Euchariſtiâ frequentantem, eo

divini amoris igne flagrantem, ut facie præseferret cordis incendium.

Ex hoc porrò tam incenso in Deum amore illa Christianæ virtutis officia hominibus debita derivabant, quorum illa adeò nullum omisit, ut omnia cumulatissimè impleverit. Quid enim illâ, si parendum majoribus foret, paratius, quid alacrius? quæ se totam ad Superioris non modò sensum, ac voluntatem, sed etiam vultum, nutumque converteret, quæ summam religiosæ Virginis gloriam in eo sitam arbitraretur, si mentem, & intelligentiam, quæ principem in homine locum occupant in obsequium Christi cogeret: Si verò cum æqualibus, aut inferioribus etiam agendum, quanta mansuetudo, quanta lenitas, ita tamen gravitati immixta, ut neutra quidquam alteri detraheret, cresceret utraque ex alterius consortio. Quanta, si quid ferendum contingeret, patientia, quam nihil unquam asperum à mitissimo pectore potuit extorquere. Quanta in alienis procurandis commodis sedulitas, si præsertim, vel egentium necessitas posceret, vel ægrotantium infirmitas postularet. Sororum illa Sanctimonialium decumbentium lectis assidere, alloquio recreari, solari, ministrare, eluere vasa, parare edulia, abstergere purulenta ulcera, adeò nulla esset ægritudo tam putrida, nullum tam tetrum ulcus, cui virgineas manus adhibere Maria Magdalena defugeret, ac fuit aliquando cum ausu planè heroico Catharinæ Senensis, & Francisci Xaverii ad instar sanie, taboque fluentem lingere non timuit, quinimò

mò dum ipſa acerbisſimo dolorum ſenſu cruciaretur, ſi de aliorum cruciatibus inaudiſſet, oblita ſuorum alienos tantùm miſerando ſentire videbatur.

Neque fato functas ſorores ſanctisſimæ Virginis charitas deſtituebat, ſiquidem earum cadavera ſepulturæ mandare, honorificentisſimum ſibi ducebat. Quæ verò tantum operæ, tantum ſtudii in procurandis corporum commodis poneret, quantâ credemus exarſiſſe erga animas charitate? Hæc illâ impellente adhuc puella Chriſtianis rudimentis ruſticas virgunculas imbuebat? Hæc ad ſuadendam divinorum myſteriorum frequentiam urgebat aſſiduè. Hæc illa ſuccenſa viros religioſos acri, ardentique oratione tam crebrò ſolicitabat ad animarum ſtudia, quarum cauſas Deo inter precandum aſſiduè commendaret, ac ad quælibet pro illarum ſalute tormenta ferenda paratam ſemper, & alacrem ſe profiteretur, atque hæc una cogitatio tam altas in ejus mente radices egerat, ut quicquid ageret, ſemper in hac hæreret cogitatione defixa.

Verùm eò erat poſtmodùm in ſe ſanctè crudelior, quò ſeſe mitiorem præbebat aliis, utpotè quæ in corpus innoxium ſæviret aſſiduè omni pœnarum genere, jejuniis, flagellis, ſpineo ſerto, ferreis catenis, cilicio, duriſsimo ſtrato, quo non ad quietem, ſed ad tormenta uti videbatur, nec tamen erat, cur adeò torqueret innocentisſimum corpus, in quo nullum unquam virgineo pudori motum reluctantem experta fuerat, atque adeò ſolo ſui conſpectu amore caſtitatis intuentes incenderet; Quæ virgi-

nitatis

nitatis laus eò est in Mariâ Magdalenâ clarior, quò ea demissior. Quanta enim in illâ animi excelsa demissio fuit, quæ illam ad viliores semper vestes, ad abjectiora ministeria demittebat; quâ impellente, quicquid sibi apud alios honorem parere potuisset, cauta silebat, quicquid contemptum crearet, libentissimè evulgabat: quâ suadente se omnibus posthabebat, ac posthaberi cupiebat.

Quid hîc solitudinis amorem, & silentii commemorem in Virgine? quæ nullo unquam verbo hujus leges violavit; quæ ut sibi, Deoque tantùm viveret, crates haberet pro supplicio, nec unquam illas adivit, nisi adacta Superioris imperio. Quid paupertatis studium in Virgine laudem? quæ magis egestate rerum, quàm alii copiâ lætaretur, quæ si quid sibi necessarium deesset, tum se beatam prædicabat, quæ nihil unquam non vile, non lacerum admisit in vestitu, eò Cælitum oculis futura speciosior, quò pannosior appareret hominibus.

Post has, quas recensuimus victorias, una supererat vincenda natura, & hanc fortissima pariter & fortunatissima Virgo superavit, ea peragendo, quæ naturam omnem supergressa miraculorum nomen invenere; Vt enim in præsentiâ sileam Prophetiæ spiritum, qui non peregrinatus aliquando, sed in hac Virgine stabilem fixisse sedem visus fuit, adeò illa sæpè longè post eventura prænunciabat; Adeò res intra cordis arcana concluſas, solique Deo pervias introspiciebat, ut secreta cordium oculis perlegere videretur. Quamobrem fiebat, ut Tyrun-

culæ

culæ Virgines Magdalenæ imperio, & moderationi ſubjectæ, vix auderent coram eâ apparêre, ſi quam admiſiſſent culpam, cujus vel ſola conſcientia teſtis eſſet; Exploratum enim pluribus experimentis omnia Magdalenæ patêre. An non illud plenè mirandum, quòd extra ſe per amoris ecſtaſim rapta in tenebris nullâ oculorum operâ ſuendo, pingendo ea non rarò perfecit, quæ attentisſimos oculos, mentemque planè totam requirerent? Quoties illa vim naturę imperantem protulit, pellendo morbos, energumenos liberando?

Soror Maria Catharina de Chellis ab ulcere plurimùm, ex quo Chirurgus partem putrefacti oſſi extraxerat, mox etiam ab acerbisſimis, quibus conflictabatur doloribus per Mariam Magdalenam faſciis obligata ad ſanitatem rediit.

Soror Fides acceptâ è Virginis manibus Dei Parentis imagine, eique ſalutari Crucis impreſſo ſigno, ſalutem momento recepit, cum per annum adversâ valetudine laborans, & omnimodâ nervorum attractione impedita lecto hæſiſſet immobilis inter acerbiſſimos cruciatus.

Catharina de Spinis ab obſidente dæmone per ſignum Crucis, à Mariâ Magdalenâ impreſſum, illicò eſt liberata.

Sorores Barbara Baſſa, & Maria Benigna de Orlandinis fœtidâ ſcabie laborantes, Mariâ Magdalenâ ulcera lambente, per virtutis miraculum redditæ ſunt ſanitati.

Soror Pax de Columbinis apoplexia totius ſiniſtri

ſtri lateris correpta, per ſignum Crucis ter tribus continentibus diebus à Mariâ Magdalenâ ſuper ipſam productum, primâ die ſenſum lateris, ſecundâ motum, integram omninò ſalutem tertiâ recepit.

Cherubina Rabatta peſſimo capitis ulcere, febri, & acutiſſimis doloribus eò jam adducta, ut à Medicis conclamaretur, Crucis ſigno ſalubriter à Virgine ipſi ter impreſſo, ab ulcere, dolore, & febre convaluit.

Iterùm eadem Cherubina vi febris, & ulceris alterius, extremâ unctione munita agebat animam, ſtramenti contactu, in quo Virgo jacebat, ſtatim conſanuit.

Quin & mortem vicit Maria Magdalena, erigens enim ſeſe, ita proſpicere cœpit beatam animarum immortalitatem, quaſi tum denique eſſet victura, cùm exceſſiſſet è vitâ, quare nihil illi longius erat, quàm velo mortalitatis amoto, pulcherrimum Dei vultum intueri, in quo uno ſpem omnem, & felicitatem ſuam locarat, in terrarum exilio expectabat in patriâ æternæ beatitatis. Viſa etiam eſt in ipsâ morte de morte glorioſiſſimè triumphare, cùm mutatis prorſus officiis, effusè lacrymis ſociæ virgines adſtantes indulgerent, ipſa animis, & Deo plena, atque cæleſte gaudium præſeferens ore, quod claudebat in pectore, ſolabatur mœrentes; Quin & juſſa per Confeſſarium vitam jam abeuntem tandiù retinere, donec abſoluto ſacrificio ipſe cum ſororibus divino pane refectis poſſet adeſſe morienti, ut eſſet moriendo obedientiæ miraculum, quæ viven-

do

do fuerat exemplar, eò uſque continuit quoad ille cum ſororibus adveniret. Tunc die XXV. Maji anni MDCVII. ut felicior viveret, ad Superos migravit ex hoc ærumnarum domicilio, Sacramentis munita, & ſpei plena cæleſtis. Ac profectò eam viventem adhuc fateri cogimur apud Cælites ſempiternâ felicitate, apud homines immortali gloriâ, dum cultum illi à populorum religione præſtitum, & prodigia ad ipſius gloriam amplificandam, ad aliorum commoda patrata intuemur.

Poſt annum, quo mandatum fuerat terræ, humenti in loco, Virginis cadaver repertum eſt incorruptum, ac è tibiis ſuaviſſimum liquorem ſalutarem morbis pellendis emittens, cæleſtisque odoris fragrantiam.

Maria de Rovanis poſt diutinæ febris moleſtias vitæ ſpe deſtituta, admoto ad pectus florum faſciculo, qui Beatæ corpus nuper elatæ contigerat, repentino ſomno correpta, nec multò poſt evigilans, è lecto prorſus incolumis deſiliit, quod illa ſalutis beneficium ter iterùm experta eſt diverſis temporibus à febri, & ſtomachi doloribus pulvilli, tunicæ, veli, quo Virgo felicisſima vivens uſa fuerat, liberata contactu.

Catharina de Taſſis cum duodenni ſtomachi, & capitis dolore, febri, vertigine ſubinde ſuccedentibus luctata, particulam tandem veſtis Beatæ ſtomacho cùm admoviſſet, ſomno correpta, & mox expergefacta, ſtatim convaluit.

Magdalena de Rondonis, corroboratis jam ſex

annorum doloribus, quibus totum corpus torquebatur, ac jam destituta, Beatæ veste contacta, & voto vix nuncupato, salutem recipit.

Petrus de Allis Romanus febri, ac doloribus ad extremum vitæ spatium adductus, Beatæ velo superindutus, illicò redditus est pristinæ valetudini.

Atque hæc tandem prodigia inclytum Pontificem Vrbanum VIII. impulere, ut Mariæ Magdalenæ Beatarum honores decerneret, post quos illa & cultu, & prodigiis iterùm magis inclaruit. Intactum enim adhuc ejus cadaver, ac cælestem spirans fragrantiam adhuc miramur non alio condîtum balsamo, quàm nobilissimo sanctitatis.

Oleum bis ejus ope multiplicatum novimus, cùm vel in usum sui Monasterii, vel in suæ festivitatis decus destinaretur, annis reparatæ salutis MDCXXVI. & MDCLIV.

M. Angelam Gorinam guttâ serenâ per biennium orbatam lumen oculorum, Mariæ Magdalenæ patrocinio implorato, recuperasse certissimo testimonio compertum habemus.

Quæ profectò prodigia voces dicemus esse cum Augustino, quibus illa miraculorum linguâ petit à Sanctitate Vestrâ Sanctarum Virginum honores, & cultum sibi decerni, atque cum his Virginis per prodigia loquentis vocibus preces consentiunt, quas ad Sanctitatis Vestræ pedes prolapsi fundunt humillimas, cum Augustâ Conjuge Imperator Augustus, Galliarum Regina Christianissima, Magnus Dux, & Magna Etruriæ Ducissa, qui eam ambiunt

sibi

sibi in Cælos adoptare Patronam, quam nascendi sorte subditam sibi gloriantur in terris, cæterique ferè omnes Catholici Principes,& universa per Europam Carmelitana familia, quæ ex hujus Virginis Canonizatione magnum sibi decorum incrementum pollicetur.

ABSOLVTA Oratione, Archiepiscopus Nerlius in hunc modum respondit.

Responsū Secretar. S. Pont.

NON sine pręcipuo divinę Providentię consilio fit, ut Petro de Alcantarâ, cui tam arcta charitatis, & sanctimonię necessitudo, in arduis Militię certaminibus,cum admirabili Theresiâ intercesit, nunc in petitione honorum, & coronâ comes adjungatur Maria Magdalena de Pazzis, Carmelitanę perfectionis,omniumque virtutum consortio,ac potissimùm jugi, & altissimâ contemplatione divinorum,altera sanè Theresia.In hujus quoque tam prę-claræ Virginis causâ, quò summus Pater luminum voluntatem suam adhuc apertiùs revelare dignetur, Sanctissimus Dominus Noster consuetas hortationes adhibet, consultationibus Consistorio Semipublico reservatis; interìm tantorum Suffragatorum numero, ac pietate magnoperè lætatur.

Hujusmodi responsionem Sanctitas Sua per me reddi voluit religiosis precibus ornatè, disertèque porrectis.

HIS ritè peractis, Consistorium dimissum est: sequenti die, jubente Sanctissimo, infrascripta Indulgentiarum exemplaria ad Basilicarum valvas, & ad alia præcipua Vrbis loca affixa fuerunt, ut ad omnium notitiam pervenirent.

Promulgatur indulgentię pro canonizat.

MARTIVS Miseratione divinâ Episcopus Portuen. S.R.E.Cardinalis Ginettus, Sanctissimi D.N.Papæ Vicarius Generalis, Romanæque Curiæ, ejusque districtûs Iudex ordinarius, &c.

La Santità di N. S. Papa Clemente IX. concede Indulgenza plenaria, e remissione di tutti i peccati à tutti i fedeli Christiani dell'vno, e l'altro sesso, i quali digiuneranno Mercordì, Venerdì, e Sabbato 27. 29. e 30. del corrente: e confessati, e communicati visiteranno almeno vna volta vna dell'infrascritte Basiliche, mentre vi sarà esposto il Santissimo, e diuotamente pregaranno la Diuina Maestà, che ispiri Sua Beatitudine, e le assista nella graue deliberatione della Canonizatione de' Beati PIETRO d'ALCANTARA, e MARIA MADALENA de PAZZIS.

Et à' Regolari dell'vno, e dell'altro sesso anche chiusi in perpetua clausura, & à tutti gl'altri tanto laici, quanto Ecclesiastici, secolari, e regolari parimente dell'vno, e dell'altro sesso esistenti in carcere, ò da qualũque infirmità corporale oppressi, che non potranno adempire le cose di sopra espresse, possa il Confessore commutarle in altre opere di pietà, & imporgli quelle cose, che i penitenti potranno fare.

Il Santisſimo ſarà eſpoſto

Nella Baſilica di S. Giouanni Laterano Domenica 31. del corrente ſino al Martedì ad hora della Meſſa Conuentuale.

Nella Baſilica di S. Pietro dal Martedì 2. d' Aprile doppo la Meſſa Conuentuale ſino al Giouedì all' hora dell' iſteſſa Meſſa.

Nella Baſilica di S. Maria Maggiore dal Giouedì 5. d' Aprile doppo la Meſſa Conuentuale ſino al Sabbato ad hora della medeſima Meſſa.

In quorum fidem, &c. Datum Romæ ex ædibus noſtris hac die XXII. Martii MDCLXIX.

M. Card. Ginettus Vicarius.

Ioſeph Palamolla Secr.

Preces S. Pont. pro canoniz.

PER id tempus Summus Pontifex aſſiduis precibus Deum orabat, ut ſibi aſſiſtere dignaretur in hoc graviſſimo Canonizationis negotio, ipſumque cæleſti luce dirigeret, ut quod magis è re Chriſtianâ, & Eccleſiæ bono, ac divinæ Majeſtatis gloriâ foret, id ſancire, ac decernere poſſet. Quas verò privatim nunquam intermittebat preces, in Baſilicâ Vaticanâ publicè haberi, & ſolemni more inſtitui præcepit; ac ut omnibus pietatis exemplo præluceret, die XXVI. Martii, paucis tantùm familiaribus, ac domeſticis comitatus, è Palatio in Baſilicam deſcendit, totus ad modeſtiam, & religionem compoſitus. Vbi ad Altare Sanctiſſimi Sacramenti, & ad Confeſſionem Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli breves, ſed pias, fudit orationes, ad Capellam

lam Chori se contulit, in quâ divina peragi solent, & Horæ Canonicæ recitari. Hîc locus erat ad dexteram Altaris eminens (Chorulum vulgò dicunt) aulæis è damasceno serico aureis distincto lineis convestitus,& velis rubri coloris item sericis decenter ornatus, in quem Sanctissimus se recepit, & audivit Missam de Spiritu Sancto solemni ritu à Basilicæ Canonicis celebratam,necnon egregiam admodùm, & eruditam concionem, quam habuit P.Andreas Lao Carmelitanæ familię Procurator,& Vicarius Generalis, magni nominis Prædicator.

Sanctiss. adest missæ de Spiritu S.& cõcioni P. Lao in Bas. Vat.

Vt autem Christi fideles suorum delictorum veniam in hac occasione concessam commodiùs lucrari possent, Sanctissimus animarum saluti sedulò incumbens, paternâ pietate prospexit. Iis enim, qui fortè ob inscitiam, aut propter aliam quamcunque causam injunctum in primâ hebdomadâ jejunium non servassent, in sequenti, istius implendi, & perficiendi facultatem fecit: promulgato in id hujus tenoris Edicto, die XXVIII. Martii.

Altera Indulgẽtia pro canonizat.

MARTVS Miseratione divinâ Episcopus Portuen. S.R.E.Cardinalis Ginettus,Sanctissimi D.N.Papæ Vicarius Generalis, Romanæque Curiæ, ejusque districtûs Iudex ordinarius, &c.

Di espresso comandamento di Nostro Signore, si fà intendere à tutti quelli, alli quali non sarà forse peruenuta in tempo la notitia de' digiuni,da farsi per la consecutione dell'Indulgenza plenaria publicata sotto li 22. del

del corrente, ò pure non hauranno digiunato nella corrente settimana, che digiunando nella seguente settimana, Mercordì, Venerdì, e Sabbato 3.5.e 6.di Aprile, e confessati,e communicati visiteranno almeno vna volta vna dell'infrascritte Basiliche, mentre vi sarà esposto il Santissimo,e diuotamente pregaranno la Maestà diuina, che assista, & ispiri Sua Beatitudine, nella graue deliberatione della Canonizatione, &c.

ILLVD autem hîc apponere supervacaneum duco, quia ejusdem est tenoris, atque aliud Edictum à nobis supra relatum.

Sanctiss. descendit in Basil. Vatic.

Sanctissimus verò à se collatæ Indulgentiæ particeps fieri desiderans, die secundâ Aprilis in Basilicam Vaticanam descendit, & in locum sibi paratum, intra Odeum, seu Capellam Chori, quem paulò ante describpsimus, se recepit. Interfuit Missæ sacrificio solemnibus cæremoniis à Canonicis peracto, & concioni etiam, quam habuit idem P. Lao, de quo supra meminimus.

Expositio Sanctiss. Sacr. in Bas. Vat.

Ea dies ad publicam quadraginta Horarum precationem destinata erat in Basilicâ Vaticanâ consueto more habendam; & quæ ad eam religiosiùs, & attentiùs peragendam necessaria videbantur, in Capellâ Sanctissimo Sacramento dicatâ, Chori Sacello obversâ, ea omnia in promptu erant. Finito igitur Sacro, universus Basilicæ Clerus à Capellâ Chori egrediens supplicationem instituit, ad Confessionem usque Sanctorum Apostolorum rectà contendens, ac inde versùs Capellam Sanctissimi,

mo-

modico per Basilicam ambitu facto, regrediens. Præibat Sacramenti Sodalitas; sequebantur Beneficiati: mox Canonici funalibus omnes accensis: tum Canonicus, qui Missam celebraverat, Augustissimam Eucharistiam pretiosissimâ custodiâ inclusam sub umbellâ deferens (contos, qui substinebant umbellam, ferebant octo intimi Sanctitatis Suæ Cubicularii) quam Summus Pontifex pedès prosequebatur, cereum accensum propriâ manu dextrâ præferens (alieno Pincernæ, ad quem illum præferre ex officio pertinebat, rejecto à manu obsequio) sinistrâ verò Beatæ Virginis precatoriam coronam percurrens, ac demisso per Caudatarium, Suæ Sanctitatis jussu, reverentiæ causâ, effusoque in terram Pontificiæ vestis syrmate, detecto capite incedès, rarâ modestiâ, incomparabili pietate, & humanas superãte laudes, omnes ad religionem pariter & admirationem provocabat. Cardinalis verò Carolus Barberinus, Basilicæ ejusdem Archipresbyter, qui consueto more post umbellam Sanctissimę Eucharistiæ proximus ire solet, occupato à Pontifice destinato sibi loco, ante umbellam inter Canonicos procedebat. Vbi ventum est ad Capellam Sacramenti, sacram Hostiam in argenteo throno & eminenti, supra Altare collocatam, quò ab omnibus videri, & adorari posset, Pontifex in genua provolutus, accepto de manibus celebrantis thuribulo, ter summâ reverentiâ, & humilitate thurificavit; quo functus officio pietatis, cantatâ à Canonico celebrante collectâ ante gradus sinistri Aræ lateris, non modi-

Pont. pedès incedit in supplicatione SS. Sacram.

Pont. SS. Sacr. thurificat.

co

co temporis ſpatio, coram Auguſtiſſimâ Euchariſtiâ ſupplex oravit, ſummo pietatis ſenſu, & circumſtantium admiratione pariter & ædificatione.

Epiſ. Vrbi propinqui monētur pro Conſiſtor. Semipub.

Interìm Epiſcopi Vrbi vicini Romam convenerunt. Hos Reverendiſſimus Brancatius Archiepiſcopus Adrianopolitanus, Sacri Concilii Secretarius ante duos ferè menſes præmonuerat, ut tempeſtivè adeſſent ſua ſuffragia laturi ſuper Canonizatione B. PETRI de Alcantarâ, & B. MARIAE MAGDALENAE de Pazzis in Conſiſtorio Semipublico. Quod Magiſtri Cæremoniarum ſequenti monitione, ob majorem commoditatem typis mandatâ, denunciàri fecerunt.

Denūcia. tio Conſ. Semipub.

Feriâ II. die VIII. Aprilis horâ XIV. erit Conſiſtorium Semipublicum in Aulâ Ducali Vaticanâ, in quo Eminentiſſimi DD. Cardinales, necnon Reverendiſſimi DD. Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi Romæ degentes ferent ſententiam ſuper Canonizatione Beati Petri de Alcantarâ, & Beatæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis, eamque ſinguli diviſìm ſcriptam, & ſubſcriptam tradent D. Secretario Congregationis Sacrorum Rituum.

Eminentiſſimi DD. Cardinales erunt cum cappis violaceis ex Camelotto. Reverendiſſimi verò Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Protonotarii, duo Auditores Rotæ, & Secretarius Sacræ Congregationis, necnon Procurator Fiſcalis Cameræ Apoſtolicæ cum cappis laneis, quibus utuntur in Capellâ Pontificiâ.

Eminentiſſimi DD. Cardinales cùm incipient ſuas ferre ſententias, aſſurgent detecto capite, easque proſequentur tecto capite ſedentes.

Modus ferendi ſententias. Reverendiſſimi Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi, ferentibus ſententias Eminentiſſimis Dominis Cardinalibus, ſedebunt tecto capite: ſtabunt verò cùm Sanctiſſimus loquetur, & genuflectent, antequàm loqui incipiant, & ſimiliter poſtquàm tulerint propria ſuffragia: aſſurgent autem ſinguli, ſtatim ac primus Patriarcha ſententiam laturus aſſurget, ſicque ſtabunt, donec ultimus Epiſcoporum ſententiam ferre deſierit.

Ideò admoneantur omnes Eminentiſſimi Domini Cardinales, necnon ſinguli Reverendiſſimi Domini Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi præſentes in Curiâ, ac DD. Protonotarii, Decanus, & ſenior poſt eum Auditor Rotæ, Secretarius Congregationis Sacrorum Rituum, & Procurator Fiſcalis Cameræ Apoſtolicæ, conſignato quoque ſingulis exemplari præſentis ſchedulæ.

Conſiſtor. ſemipubl. DESIGNATA igitur die Conſiſtorium coactum eſt in Aulâ Ducali Vaticanâ, ad quam Summus Pontifex ex interiori cubiculo vulgò dictâ paramentorum, amictu, albâ, cingulo, ſtolâ violaceâ, & pluviali ſimplici rubri coloris indutus, mitrâque pariter ſimplici ornatus pedès acceſſit. Anteriores fimbrias veſtis, & pluvialis Pontificii duo Cubicularii Aſſiſtentes, poſteriores Excellentiſſimus D. Thomas ejuſdem Pontificis Nepos, ne in terram de-

defluerent, sustinebant. Sedente Sanctissimo in solio eminenti, quod ampla desuper umbella tegebat; Cardinales, cæterique Prælati omnes suo quisque loco justo ordine consedêrunt. Subsellia Cardinalium infrà gradus solii à dextro latere ad sinistrum usque continuato ductu in aream excurrebant. Sedilia autem pro Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, dispositа post Cardinalium subsellia visebantur; Dextrum latus Assistentes, non Assistentes verò siniſtrum occupabant latus. Protonotarios Apostolicos, Decanum, & alterum antiquiorem Rotæ Auditorem scamna post prædicta subsellia Solio adversa exceperunt. In areâ iuxtà gradus solii stabant DD. Casalius, Congregationi Sacrorum Rituum à Secretis: Vanninus, & Arata, Cubiculariі Pontificis Assistentes, & Secretarius, Clericusque Sacri Collegii vestibus, & caputiis rubris de more inversis amicti: nec non Cæremoniarum Magistri vestibus violaceis induti.

Ordo sessionis.

Porrò Sanctissimus ad augendum Sacri hujus Consessûs splendôrem, & eximium paternæ benevolentiæ specimen exhibendum, huic piissimæ actioni adesse voluit Augustissimam Sveciæ Reginam, Orbis miraculum, clarissimam hujus seculi Heroinam, & Catholicæ Religionis immortale decus, & ornamentum. Hæc cuncta attentè, & curiosè spectavit è superiore cubiculi (pretiosis id erat peristromatibus ornatum, à Raphaële de Vrbino pictore celeberrimo delineatis) eidem Aulæ imminentis fenestrâ; nam cùm illa regiis præstet virtu-

Reg. Sveciæ datur locus pro audiendis sententijs in Cõsist. semipubl.

tutibus, celsâ prætereà indole, judicio gravi, & acutiſſimo polleat ingenio, excellatque ſuprà quàm dici poſſit, ſcientiâ rerum, peritiâque linguarum; mirum eſt, quantâ animi voluptate Purpuratorum Patrum, aliorumque ſententias in eo ampliſſimo Chriſtiani Orbis theatro audiverit! quàm altâ meditatione ſingula in eo dicta perpenderit, & cordi impreſſerit! præſertìm cùm SS.D.N. CLEMENTIS ab ore pendêret, Pontificiâ, & ſummâ quâdam gravitate, circumſtantes in hunc modum alloquentis.

Venerabiles Fratres. Quæ pertinent ad heroicas virtutes, atque eximia miracula Beati Petri de Alcantarâ, & Beatæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis, in Conſiſtorio publico nuper habito audire, & ex fideli ad vos tranſmiſsâ narratione maturè perpendere valuiſtis. Reliquum jam eſt, ut de publico illis cultu decernendo deliberemus; cùm æquum ſit *laudari viros glorioſos*, *quorum memoria in benedictione eſt*; Non tàm, ut hanc illis quaſi laborum, ac virtutum ſuarum mercedem tribuamus, qui *de ſuâ felicitate ſecuri*, *de noſtrâ tantùm ſunt incolumitate ſoliciti*, quàm ut eorum exemplis, quæ ad mortalium animos excitandos plurimùm valent, Chriſtiana charitas incaleſcat. Et ſanè cùm pacatis jam, dexterâ Dei faciente virtutem, Chriſtianorum Principum animis, præcipuam ſolicitudinem, curamque noſtram ad Cretæ Inſulæ, hoc eſt ad publicæ ſalutis defenſionem conferamus: par eſt, ut novis, quæ in dies à piis æquè, ac generoſis Principibus

bus ſuppetiæ parantur, nova è Cælo ſubſidia adjungi ſedulò curemus; id etiam exigente præſenti Poloniæ ſtatu, ut aucto cæleſtium Interceſſorum numero, atque ope, inclytæ, clariſſimæque Nationis negotia felicitèr cedant.

Interìm non poſſumus ſatis admirari, ac laudare divinæ in nos bonitatis abundantiam, quæ impoſitum humilitati noſtræ graviſſimum onus Apoſtolici muneris ingenti ſolatio ſublevare dignatur; dùm hujus Canonizationis decus, ad quod Prædeceſſores noſtri cogitationem ſpecialitèr direxerant, ad hoc uſque tempus reſervavit: ut peculiarem, ac veterem noſtram ergà utrumque Beatum devotionem publico nunc teſtimonio ex ipſo ſolii Pontificii culmine profiteremur. Tanta profectò fuit in utroque ſanctimoniæ, morumque ſimilitudo, ſive intueamur vitæ aſperitatem, & abſtinentiam, ſive illibatum animi candôrem, ſive immenſum divini amoris incendium, quod frequentiſſimi mentis raptus, & aſſidua rerum cæleſtium contemplatio ſequebantur, ſive denique mirabilia, quæ per eos divina Omnipotentia patravit, ut judicaverimus, ſimul promovendam amborum celebritatem. Quadrageſimæ verò tempus ad id tractandum elegimus, quòd & eorum ſanctitas in auſteritate jejunii præcipuè eluxit, & *hoc eſt tempus acceptabile*, in quo cùm Deus placabiliorem ſe mortalibus præbeat, Nobis, vt ſperamus, miſericorditèr indicabit, quid in re tantâ ſtatuere ad ſui nominis gloriam, atque ædificationem fidelium debeamus.

Ve-

Veſtras igitur ſententias primùm exquirimus de Beato Petro de Alcantarâ.

VBI Pontifex loquendi finem fecit: omnes ſervatis de more cæremoniis, in denunciatione Conſiſtorii à nobis jam ſuprà deſcriptis, ſua ſuffragia hoc ordine tulerunt.

Franciſcus Epiſcopus Oſtienſis Card. Barberinus.

Vota Dominorum Card.

Beatiſſime Pater, antiquus Anachoreta Copres, cùm in cœtu diſcipulorum acta Patrum recenſêret, viſus uni ex auditoribus fuit, è codice aureis literis exarato, quæ dicebat recitare. Liceat effari, Beatiſſime Pater, ſimile mihi contigiſſe quidpiam: eximia enim, & præclara dùm Sanctitas Veſtra de Beato Petro de Alcantarâ, & de Beatâ Mariâ Magdalenâ de Pazzis commemoraret, videbatur è pretioſiori codice, hoc eſt, è libro vitæ Archetypo ea excipere. De Beato equidem Petro eſt, quòd omnes felicem prędicent Hiſpaniam tanti Viri genitricem. Eſt & mihi dudùm inſervienti peculiaritèr Religioni Seraphicæ, cur huic ex officio gratuler, formatum inſtitutis ejus, & Orbis admirationi oſtenſum noviſſimis hiſce temporibus, odio in ſe ipſum, & ſummâ in Deum charitate Franciſcum alterum, diſciplinæ ſeverioris auctorem, quam non ſolùm per Hiſpanias ſparſit, ſed trans maria, & in extremas uſque mundi partes protenſam divinæ gloriæ incremento videmus. Audiatur ergò Sanctitas Veſtra ex Deo,

coram

coram Deo in Christo loquens Ecclesiæ universæ declarare, Beatum Petrum de Alcantarâ, uti ritè adscriptum catalogo Sanctorum, in privatis, ac publicis necessitatibus posse invocari, & esse invocandum.

Martius Episcopus Portuensis Card. Ginettus.

Seraphicæ Religionis fœcundissimus Ager Sanctos Viros omni ætate produxit, in quibus Franciſci spiritus mirabiliter eluxit. Novissimè autem ab ultimis Hesperiæ finibus novum germen emersit B. Petrus de Alcantarâ, in quo omnes Franciſci virtutes, nuda scilicet paupertas, angelica puritas, rerum omnium abdicatio, rigidissima pœnitentia, Dei, ac proximi ardentissimus amor refulgent. Cùm igitur fama virtutum B. Petri in omnem terram diffusa, insignibus à Deo miraculis comprobata sit, æquum omninò videtur, ut solemnis ei cultus, ac veneratio Apostolicâ auctoritate decernatur.

Franciſcus Maria Episc. Tuſculanus Card. Brancatius.

Legimus, Beatissime Pater, Beato Petro Apostolo iter humanis gressibus liquidum, solidum obsequium, ut ait Petrus Chrysologus, præbuisse, & novo huic Petro Tagum fluvium liquentem ejus viam saxeâ soliditate straviſſe. Audivimus sitienti populo Moysen è lapide fontem aperuisse, & in præsens, Petrum, ut socio siti ad mortem laboranti

suc-

ſuccurreret, precibus idem obtinuiſſe ſubſidium. Renovata igitur miracula exigunt, Beatiſſime Pater, ut ore veſtro, quo Deus ipſe militanti in Eccleſiâ loquitur, inter triumphantis cives & Petrum divinâ gloriâ perfrui pronuntietis. Prout ego tutò fieri poſſe exiſtimo.

Vldericus Epiſcopus Albanenſis Card. Carpineus.

Beatus Petrus de Alcantarâ vixit inter mortales non veluti mortalis, id enim egit mortalis in terris, quod agunt in Cælis ſpiritus immortales; optimâ parte ſibi electâ, quâ potiuntur electi, ad hoc unum contendebat, ut indefeſſo mentis obtutu ſummum bonum intelligeret, intelligendo amaret, amando frueretur. Hinc eſt, ut animi virtutibus totus viveret, & admirabili abſtinentiæ addictus vitam ſine victu quodammodò tranſigeret. Cibo enim inviſibili, quo & corpus reficeretur, & animus, utebatur, faciendi ſcilicet Patris, qui in Cælis eſt, voluntatem, quæ utique eſt ſanctificatio noſtra. Hominem igitur non de terrâ terrenum, ſed omninò de Cælo cæleſtem inter Sanctos cæleſtis aulæ Proceres adſcribendum cenſeo, Beatiſſime Pater.

Iulius Epiſcopus Sabinenſis Card. Gabriellius.

Chriſtianæ ſanctitatis ferax Hiſpania, Beatiſſime Pater, unum præter cæteros B. Petrum de Alcantarâ peperit, quem tam rigor horridus pœnitentiæ,

quàm

quàm charitatis ardor amabilis cùm æquaverit fulgentiſſimis viris, quos in Hiſpaniâ ortos priore ſeculo noſtrum altaribus invocavit, exiſtimo illum cum iiſdem meritâ cæleſtis honoris participatione dignandum. Cellam is coluit anguſtam inſtar ſepulchri, cibo ferè nullo, ſomno ſeſquihoræ, ferreâ ſub ſacco tunicâ cuſpidibus obverſis membra ſenilia ferientibus, aperto capite, nudis pedibus nives, & frigora excipiens. Verùm ubi divino fortè amore incaluiſſet, continuò fracta jejuniis membra rapiebat in abdita cubiculi, ut lacrymis dulciſſimis relevaret cordis ardorem, hoc eſt partem beatitatis prælibaret in terris.

Virginius tit. S. Laurentii in Lucinâ Presbyter Card. Vrſinus.

Beatiſſime Pater, inter multas virtutes, quas enumerare poſſem in B. Petro de Alcantarâ, eminet ſuper omnes præcipua humilitas; quæ enim in mundo viliora videntur, in Cælo ſublimiora ſunt; hæc fuit veſtis nuptialis, quâ indutus B. Petrus ad cæleſte convivium ingredi meruit; per hos gradus humilitatis deſcendendo, tot frui cæleſtibus viſionibus, in extaſim rapi, & ad Dei præſentiam attolli meruit, verus Evangelii ſectator, *qui* enim *ſe humiliat, exaltatur*. Nunc perfectis proceſſibus, omnibusque de more ſolutis, meritò à Sanctitate Veſtrâ Sanctus pronunciari videtur, ut præſentibus neceſſitatibus opitulari poſſit, & multiplicatis interceſſoribus cæleſtem benedictionem ſanctis operibus

Sanctitatis Vestræ pro defensione Catholicæ Religionis plenis manibus Dei omnipotentia elargiatur; & ita meâ humillimâ sententiâ censeo.

Cæsar tit. Sanctorum Quatuor Coronatorum Presbyter Card. Fachenettus.

Ecclesiæ Cælum antehac sanctissimis viris veluti quibusdam syderibus ita distinguebatur, ut ad illud illustrandum ne exigua quidem scintilla lucis addi posse videretur. Verùm enimverò Petrus de Alcantarâ eam inter mortales vitam traduxit, ut & mirabili signorum claritudine, & singulari virtutum præstantiâ infinitum penè lumen huic Ecclesiæ Cælo adjunxisse putetur. Inter verò plurima integritatis, fortitudinis, sanctimoniæ, fideique prodigia, quibus universum terrarum orbem cumulavit, atque in summam admirationem rapuit, illud eximiis effertur laudibus, quòd cùm Petrus egregiâ instructus fide Tagum fluvium, tunc temporis immodicâ aquarum copiâ excandescentem, esset ingressus, ejus procellam illicò domuit, eumque siccis pedibus transivit. Quid mirum, si Petrus insuperabilem vastissimi fluminis impetum fregerit, qui semper acerbissimâ sui corporis afflictatione armatam immortalis Numinis in peccatores iram in misericordiam vertit? Quapropter, Beatissime Pater, illum in Sanctorum numero censeo jure collocandum.

Fe-

Federicus tituli S. Petri ad Vincula Presbyter Card. Sfortia.

Liquet, Beatisſime Pater, debitus Cælitum honos B. Petro de Alcantarâ, cui, dum cæleſtem inter mortales vitam traheret, Omnipotentis agente virtute, aureum ſeſe Tagus ſolidavit in ſolium: argentea ſui ipſius nix laquearia ſuſpendit in templum: arens ſcipio terræ fixus protinùs germen poſteà groſſos, licèt non ſuos, edidit in miraculum, ut virtutes ejus Cælo dignè monſtrarentur, quem tandem vitâ functum, Divâ Thereſiâ videnre, Deus aſſumpſit, ut inhabitaret in atriis ſuis. Quare, ſi Sanctitati Veſtræ placuerit, nihil gratiæ, nihil precibus, nihil clementiæ permittendo, crederem ei ſolemniter honorem Cælitum eſſe tribuendum, ut quemadmodùm Deus fecit, ita & nos faciamus.

Benedictus tituli Sancti Honuphrii Presbyter Card. Odeſcalcus.

Non unius tantùm Hiſpaniæ, ſed univerſę Chriſtianæ Reipublicæ ardentia vota implet, atque fortunat Sanctitas Veſtra, dum Sanctorum faſtis adſcribere meditatur Petrum de Alcantarâ, quà populorum acclamatione, quà Principum, & Regum precibus, quà vocibus miraculorum jamdiu Aris deſtinatum. Debet enimverò majora inter Eccleſiæ ſydera lucere, qui dum viveret, ſemper latêre ſtuduit, & æquum eſt, ut inter ſanctiſſimos Chriſti Heroes adoretur, qui voluntariis cruciatus ſuppliciis,

dolorumque omnium varietate ſaginatus divini amoris victima fuit, & Chriſti patientis animatum ſimulacrum.

Laurentius tit. Sanctorum Quirici, & Iulitæ Presbyter Card. Raggius.

Si unquam aliàs, Beatiſſime Pater, his profectò temporibus Chriſtiana Reſpublica Sanctorum indiget patrocinio, qui, fuſis ad Deum precibus, teterrimos noſtræ Religionis hoſtes, Cretæ jamdiu imminentes, quàm longiſſimè propulſent. Ad hanc tanti ponderis cauſam jure merito Patronos adhibet Sanctitas Veſtra, virtutibus, & miraculis inſignes. Eo numero erit, & loco B. Petrus de Alcantarâ, quem ſummus humanorum rerum contemptus, acerrimum regularis diſciplinæ propagandæ ſtudium, tranſmiſſa ſicco veſtigio flumina, ex ipſis mortis faucibus erepti, ac ſervati complures, ſanctimoniæ laude clariſſimum prædicant. Quamobrem dignum omninò cenſeo, cui Sanctitatis Veſtræ decreto publicè in Aris, ac Templis perſolvantur honores.

Aloyſius tit. S. Alexii Presbyter Card. Homodeus.

Novis cumulare ſyderibus Cælum, unius eſt Solis munus: novis verò civibus augere Civitatem Dei, munus eſt planè tuum, Beatiſſime Pater. Erunt proindè muneris tanti partes Petrum de Alcantarâ virum è Franciſcanâ familiâ religioſiſſimum Sanctorum

ctorum accenſere Senatui, & Cælitum Rempublicam Cive donare ſanè magno. Trecenta ille ſtrictioris diſciplinæ Cœnobia ædificavit: Trecenta dixeris Seminaria Sanctorum. Poſt devictam ſæpiùs patratis à ſe miraculis naturam, carnem quoque ſuam quotidianis præliis attritam, continuatis obfirmatè jejuniis edomitam, ciliciis continenter admotis afflictam, flagellis denique identidem repetitis cruentatam vicit. Aequum ergò eſt illum inter Sanctos adſcribere, Sanctorumque coronâ decorare, qui Sanctorum in ſe mores expreſſit, eorumque merita laudabiliter æquavit. Coronatur enim juſtè, qui legitimè certavit; & verè corona juſtitiæ eſt, quæ magnis adjudicatur meritis laurea ſanctitatis.

Petrus tit. S. Marci Presbyter Card. Otthobonus.

De Beato Dei Servo Petro de Alcantarâ in Sanctorum Concilium adoptando, ut ferrem ritè ſententiam, quando graviſſima res agitur, conſuluiſſe Divam Thereſiam volui. Novit illa à mutuis allocutionibus viri virtutem ſupra hominem, cruciamenta corporis ſupra fidem, divinorum ſenſum, Orationis æſtum, flammam pectoris Cælo hauſtam. Vidit perſæpè abreptum ſenſibus, ſublatumque è terrâ ire per ſydera. Vidit ſtatim à morte lectiſſimam animam evolare in ſinum lucis. Igitur ſuam ſi rogaretur ſententiam Thereſia, utrùm adſcribi divinorum faſtis Petrus debeat? Quis dubitet, confeſtìm, ac diſertiſſimè reſponſuram, dignisſimum

planè

planè esse, quem publica mortalium vota, ac thura colant? Theresianæ huic me sententiæ libens, volens, subscribo.

Laurentius tituli Sancti Chrysogoni Presbyter Card. Imperialis.

Beatus Petrus de Alcantarâ, summo Religionis zelo, & observantiâ, illibatâ castitate, invictâ patientiâ, singulari vitæ asperitate & sanctimoniâ, aliisque heroicis virtutibus, insignem pietatem, fidem, spem, & charitatem patefecit, eaque Deus multis miraculis comprobavit; nam Petri intercessione *cæci vident, claudi ambulant, infirmi sanantur*, fluentes aquæ cælesti soliditate pedes sustinent, & arida virga, uti Aaron in signum electionis, viridem arborem germinat, unde meritò potest dici, etiam S. Theresiæ testimonio, *Iste est, qui contempsit vitam mundi, pervenit ad cælestia regna, & inventus est in numero Sanctorum*. Ideò solemni Canonizatione publicæ veneration exponendum censeo.

Gibertus tituli Sanctorum Ioannis, & Pauli Presbyter Card. Borromeus.

B. Petri de Alcantarâ animam Cælo destinatam monstravere virtutes supra humanam conditionem evectæ: Religiosa disciplina exemplo, & arctioribus institutis restituta, & ad perfectiorem normam redacta, animus in tantâ probitatis, & rerum mirabiliter gestarum gloriâ se demisse æstimans, admirabilis sensuum, deliciarumque contemptus, peracta vita

vita per duram aſperitatem, per quam egregius Vir confectus mortalitatem non tantùm explevit, ſed ſupergreſſus eſt : meruitque habere teſtem B. Thereſiam & virtutum, quibus ille vivens ad cæleſtem patriam tendebat, & itineris, quo mortuus illuc ſubductus eſt. Sed parùm illi fuit B. Thereſiam teſtem habuiſſe, dum è Cælo clariora, & firmiora teſtimonia ſumimus, ex quo B. Petrus tot ſalutaria beneficia ſupra naturæ leges ægris mortalibus contulit. Manus Domini fecit hęc omnia mirabilis in Sanctis ſuis, quibus ritè adſcribendum B. Petrum de Alcantarâ cenſeo.

Marcellus tituli S. Stephani in Monte Cælio Presbyter Card. Sancta-Crucius.

Sapientiſſimo conſilio Sanctitatis Veſtræ factum puto, ut inter multos heroicæ virtutis Athletas, B. Petrum de Alcantarâ promovendum elegerit, quia non ſolùm fas eſt, ut qui tamdiu ſeminavit in lacrymis, metat tandem in exultatione cultum ſolemnem venerationis : verùm etiam, quia ita Chriſtianus Orbis, deliciis nimium intentus, & cauſam religionis Catholicæ enormiter negligens per hos dies excitabitur velut à ſomno ; intelligens quòd, ſi B. Petrus juſtus, innocens vitæ, ſcelerisque purus, per aſperitatem vitæ, carnisque duriſſimam mortificationem pervenit ad ſalutem, multò magis hac viâ pœnitentiæ eundum eſt peccantibus, ſi ſalvi fieri voluerint. Hinc expergefacti Principes, & populi, Martyrum æmulatores, & antiquorum Chriſtianorum

norum pietatem imitantes, ſpretis Patriæ deliciis, turmatim, & quaſi ex condicto, ad Beatiſſimos pedes Sanctitatis Veſtræ provoluti, Crucis vexillum, & Apoſtolicam benedictionem implorabunt: Ituri ad ſacrum bellum contra Turcas, ut in tam ſanctâ expeditione redimentes peccata ſua, vel ſudore, vel ſanguine fortiter effuſo, accipiant coronam juſtitiæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe, & pro ſanctâ Eccleſiâ ſuâ pio zelo militantibus. Excitabit hunc ſpiritum ſanctæ Cruciatæ B. Petrus, quia natus, ubi ſacræ militiæ Alcantarenſis præcipua ſedes exiſtit, prænotaſſe videtur hoc ſibi opus, ſpecialiter à Deo reſervatum; ut ſicuti vivens in terris contra hoſtes inviſibiles Sanctæ Eccleſiæ, reſtitutâ ſtrictiori obſervantiâ, millenos, & millenos Cœnobitas armavit, ita contra viſibiles Chriſtiani nominis inimicos inflammabit ad pugnam militares ordines omnes, impetratâ eis cordis latitudine, quæ Chriſtianæ militiæ reddit onus ſuave, & leve, mortemque ipſam coram hominibus, & quod magis eſt, in conſpectu Dei facit pretioſam.

Ioannes Baptiſta tituli Sancti Marcelli Presbyter Card. Spada.

Beatiſſime Pater: Petrus iſte non meruit redargui, ſicut olim Apoſtolus à Domino, verbis illis: *Modicæ fidei, quare dubitaſti?* Dum ab eo vocatus ſuper mare ambulans, mergi timuit; Etenim ſine hæſitatione in Deo confiſus undas calcavit intrepidus. Quare factum puto, quòd aquæ deſuper deſcendentes,

tes, quasi istis inferioribus invidentes, ut etiam ipsæ obsequium præstarent Servo Dei, in nivem glomeratæ tegumentum admirabile, & inauditum super caput ejus, ne submergeretur, composuerint. Innumera sunt in vitâ, & post mortem alia patrata prodigia, ex quibus non dubito, quin possit per Sanctitatem Vestram inter Sanctos Confessores describi.

Franciscus tituli Sanctæ Mariæ in Viâ Presbyter Card. Albicius.

Si, ut Servus Dei catalogo Sanctorum adscribatur, virtutibus in gradu heroico præditus esse debet; illas certè in B. Petro de Alcantarâ apertissimè agnoscimus, & tales, ut penè dixerim in illis B. Petrum Principem Apostolorum superasse; si enim iste spe præmii relictis retibus Christo adhæsit, ille solo Iesu amore illum sequutus est; Iste si modicâ fide maris undas calcavit, ille firmâ fide undas fluvii Tagi securo pede trajecit; Iste permittente Deo Christum negavit, ille ab incunabulis in confessione fidei stabilis usque ad mortem permansit; Iste si ad portam speciosam claudum manentem erexit, ille plures cruribus fractos, & luce oculorum orbatos pristinæ sanitati restituit. Censeo igitur, jure merito in Sanctorum numero collocandum.

Carolus tit. S. Priscæ Presbyter Card. Pius.

Quę in B. Petro de Alcantarâ venerabundus ad-

miror, Beatisſime Pater, nec ſicut oportet mente concipere, nec ſicuti decet ore proferre valeo. Ab initio uſque ad finem ita fortiter, ac ſuaviter omnem ejus vitæ curſum diſpoſuit D.O.M. ut heroica virtus in miraculis, miracula in virtutibus elucerent. Parùm eſt, ſi perpetuam innocentiam, ſi cæleſtis ſapientiæ profectum, ſi divinorum altiſſimam contemplationem attingam; hæc enim omnia profundiſſimâ ſui humilitate deprimens Petrus, nec dum ſe ſpiritualis vitæ candidatum reputabat, adeò ut religionem ſtrictioris diſciplinæ amans ingreſſurus, quia in eâ futurus erat miraculum, Tagum flumen trajiciens miraculo ſit aggreſſus. Ibi verò cæleſtium rerum meditatione ſic detinebatur, ut terrena omnia non ſolùm deſpiceret, ſed nec etiam aſpiceret; quodque magis ſuſpiciamus, dulciſſima Dei dona aſperrimo vitæ genere (ô humilitas) temperare ſatageret, cum cæteris mitis, ſecum extremè ſeverus. Tantus porrò virtutum cumulus intra pectoris anguſta cùm detineri nequiret, religioſorum cœtuum Cœnobia aut reformandis, aut de novo fundandis animum applicuit. Annuit cœptis Deus, & non Hiſpania, aut Europa tantùm, ſed remotiores Inſulæ, ac novus Orbis pluſquàm trecenta numerant Monaſteria plures in Provincias diſtincta. Vno verbo, Petri de Alcantarâ ſanctitas magnum illius Thereſiæ teſtimonium reportavit, quæ una Sanctarum Virginum palmas æquavit, aut ſuperavit. Eja itaque, Beatiſſime Pater, ſentiat Eccleſia Catholica S. V. auſpiciis grandè illud munimen, ac

tuta-

tutamentum, quod pro Cretæ Regno à Turcarum tyrannide liberando, quodque universa Respublica sperat, si tantus vir jam inter Cælites evectus in Sanctorum fastos (quæ omnium sunt vota) referatur.

Carolus tit. S. Eusebii Presbyter Card. Gualterius.

Beatissime Pater. Quem in Apostolo Petro mirabilem prædicamus rerum mirabilium effectorem Deum, eundem in Petro de Alcantarâ mirabilem prædicare non est abnuendum. Vnum hîc, aut alterum liceat afferre miraculum ex pluribus, quibus Petrus iste dicitur feciſſe mirabilia in vitâ suâ. Stat onustum pane jumentum, ut Petri sociis extremâ laborantibus fame deferret annonam: Venerat ad fluminis intercurrentis ripam, sed quæ nimium intumuerant aquæ, trajectum negabant. Increpat vectorem Puer, jubetque pergere ad Petrum. Vix Petri nomen insonuit, cum subitò coaluerunt undæ, solidumque præbuerunt iter portitori ad Cœnobium, quò properabat. Quid alterum? Ingruerat Petro peregrinanti nox, coactusque subsistere, casam subit malè materiatam, nulloque tecto munitam; ut inibi somnum caperet penè sub dio: delabentes interim è Cælo nives, ne Petrum obruerent, ita coaluerunt in aëre vacuo, ut pendulo dormientem tabernaculo defenderint à gelu. Hinc ergo elementorum etiam verè liquido, verè candido suffragio, Sanctis adnumeretur Petrus de Alcantarâ, ut

quis Principi Apoſtolorum fuit ſimilis in viâ, eundem habeat in patriâ, communicatâ ſanctitatis appellatione conſortem; & Deus ille mirabilis in Servis ſuis, ad quem, Beatiſime Pater, clamas, ut in Turcarum immanitatem doceat manus tuas ad prælium, exaudiat te, ne flagellum appropinquet genti tuæ, ſed eam ab omni tempeſtate educat ad victoriam, atque in hoſtium diſperſione glorificet ſub utriuſque Petri protectione, in quâ commoraris.

Flavius tituli Sanctæ Mariæ de Populo Presbyter Card. Chiſius.

B. Petro de Alcantarâ familiariſſimum fuit à primis annis, Beatiſſime Pater, ob Dei gloriam, & proximorum ſalutem, duriſſima perpeti, agere maximè ardua, quibus virtutibus, veluti Polis Cælum, vita Sanctorum circumvolvitur. Et quidem aſperum Petri ſaccum, aſperiorem victum, cruciatum corporis multò aſperrimum jam compenſant in Cælo torrentes voluptatis, lætificantes Civitatem Dei. Ad te nunc ſpectat, Beatiſſime Pater, divinos in terris honores illi ſtatuere, qui conculcavit humanos; quando à Carolo Quinto Imperatore, & Ioannâ Auſtriacâ Luſitaniæ Principe invitatus non ſemel ad confeſſiones excipiendas, recuſavit, elegitque abjectus eſſe in domo Dei magis, quàm habitare in Aulis Principum etiam piorum.

Scipio tit. S. Sabinæ Presbyter Card. Ilcius.

Beatiſſime Pater, ſapienter Sanctitas Veſtra exem-

plar

plar ad imitandum proponit B. Petrum de Alcantarâ, qui ſub humilitatis Chriſtianæ modio, tanquàm in Chriſti candelabro, virtutibus, ac miraculis univerſæ luxit Eccleſiæ. Manum namque ſuam mittens ad fortia aſperrimo vitæ genere carnem ſuam crucifixit cum vitiis, & concupiſcentiis: levansque ſe ſuper ſe, contemplatione altiſſimâ, quæ ſurſum ſunt ſapuit, quæ ſurſum ſunt quæſiit, & invênit. Ita mundum deſpiciens, & terrena triumphans, Cælum ingreſſus eſt cum ingenti mortalium ſpolio, quos vitia exuere, indutus ipſe pœnitentiæ cilicio, ardore ſummo Evangelicæ prædicationis edocuit. Cùm igitur tanquàm lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, divinæ gratiæ fructum dederit in tempore ſuo; par eſt, ut fructum etiam ſummi honoris accipiat: eumque ſicut in Cælo Deus, ita Sanctitas Veſtra in terris ſimilem faciat in gloriâ Sanctorum.

Petrus tit. S. Calixti Presbyter Card. Vidonus.

Beatiſſime Pater, B. Petrus de Alcantarâ altricem ſui ſortitus Hiſpaniam, ut naſcendo ubi Sol occidit, lucis deficientis interitum, vitæ clarioris nobilitaret exordio, Cælo frequentiùs vixit, quàm terris. Suppetias militanti Eccleſiæ ſuffecturus, collectis ex veteranâ Seraphicâ familiâ militibus, atque ad ſeveriorem vitæ cultum reformatis, dæmoni bellum indixit, terrasque non tam nudis pedibus, quàm inſignibus victoriis peragravit. Potior tamen fuit re-

relatus de se ipso triumphus; vita siquidem asperrimis, æternisque damnata rigoribus, labore tædium, sitim frigidâ, herbis longissima jejunia solabatur. Quid plura? Post abdicatas paternæ domus divitias, cùm non haberet, quo se ultrò spoliaret, cruentatis flagellis venas ipsas sanguine depauperavit, ingeniosus corporis sui tortor, & Deo victima gratissima. Reliquum est, Beatissime Pater, ut Pontificatum in terris, quem geris faustissimum, novo & quidem immortali sydere æternare videaris; Tuo decreto, hoc est divinitatis oraculo Sanctorum numero adscribas Petrum virtutibus omnibus absolutissimum, miraculis toti Orbi celeberrimum, & quem in electione Regis Poloniæ, & expulsione Turcarum à Regno Cretensi propitium, & propugnatorem speramus.

Carolus tit. S. Anastasiæ Presbyter Card. Bonellus.

Beatus Dei Servus Petrus de Alcantarâ è Seraphici Franciſci disciplinâ alter penè Franciscus fuit, paupertatis cultu, humilitatis studio, divinæ contemplationis usu, charitatis æstu, afflictatione corporis: in quâ quidem corporis afflictatione ita multus fuit, ut cruciamenta delicias reputaret, delicias cruciamenta. Certare cum divino ipso Numine videbatur, ut quantùm illecebrarum effunderet animæ Deus, tantundem ipse suppliciorum inferret corpori victor, & lictor sui: planè ut affirmare quis posset, quæ olim semel contigêre Francisco Christi

vul-

vulnera, hæc eadem durisſimis pœnarum inſtrumentis, ac ſui lanienâ ipſummet ſibi quotidiè inflixiſſe. Itaque cùm tam accedat Franciſci meritis Petrus, iisdem donari faſtis, æquum eſt, Beatisſime Pater. Id efflagitant vota mortalium: id etiam diſertè poſtulant Franciſci, quæ patent ora, ac vulnera.

Cælius tituli S. Petri in Monte Aureo Presbyter Card. Piccolomineus.

Beatisſime Pater. *Militia eſt vita hominis ſuper terram*, ſed B. Petri de Alcantarâ atrox certamen fuit, ſævisſimumque prælium contra propriam carnem, & ſanguinem: ita ut mirum fuerit, quin cum triumphato corpore victor ipſe ſuo opprimeretur triumpho. Leve enim illi videbatur aſſiduis jejuniis, ac vigiliis, fame, & ſiti, frigore, ac nuditate, ſetoſo cilicio, ferreisque catenis, domeſticos hominis inimicos, id eſt ſenſus ſuos crudeliter affligere, *Pugna hæc erat dilectionis, quæ fortis eſt ut mors, & ad æmulandum divinam Salvatoris noſtri charitatem, ut ſocius fieret paſſionum ejus*, non ad coërcendam ſævientem in membris legem, quam nunquàm ſenſit reluctantem puriſsimæ ſuæ menti; ideò ſpreto mortis periculo, cruciatus etiam ſupra humanas vires excogitavit, & ſomnum ingenioſo tormento oculis ſuis omninò interdixit, aliquando etiam plures dies omnem cibum, ac potum corpori, cui famem, ac ſitim modico pane, & aquâ nunquàm etiam explere ſinebat; & ſi quando hiſpidum ſaccum lavabat, quo nuditatem ſuam excruciaret magis, quàm con-

fo-

fovêret, illo adhuc madido reinduebatur, ut pœnas luerent membra, quasi nimis delicata, quæ munditiam quærebant in cilicio. Cùm igitur fortissimus hic Athleta, in quo Franciscus ille Seraphim revixit mundo, tam *bonum certamen certaverit, cursumque consummaverit* tot virtutibus, & miraculis illustrem, modòque fruatur in Cælis *coronâ Iustitiæ, quam reddit justus Iudex legitimè certantibus*, justissimè etiam Sanctorum honore coronari decet in terris certissimo Sanctitatis Vestræ oraculo, ut palmam eo in agone simul recipiat, ubi tantas sui ipsius, & mundi reportavit victorias.

Palutius tit. Sanctorum Apostolorum Presbyter
Card. Palutius Albertonius.

Beatissime Pater. Principis Apostolorum Petri semitam in aquis multis calcavit quoque B. Petrus de Alcantarâ, sed intrepido, non fluctuante vestigio; non fide nixus modicâ, sed nimiâ charitate; non venti validi timore perculsus, quia super pennas ventorum sæpè anteà sublimis ambulaverat; nec apprehendentem divinæ fortitudinis dexteram inclamare coactus, quam semper tenuit, nec dimisit. Meritò igitur illum verax Petri Cathedra, ex Vestræ Sanctitatis Oraculo, venerabitur inter Sanctos, placidissimè provectos ad portum æternitatis.

Cæsar tit. S. Ioannis ante Portam-latinam Presbyter
Card. Rasponus.

Conversationem inter homines B. Petri de Alcan-

cantarâ præcipui Franciſcanæ familiæ luminis, Beatiſſime Pater, honorifico Sanctiſſimę Virginis Thereſiæ teſtimonio, cæterisque non ambiguis documentis Sanctitati Veſtræ perſpectam, & cognitam, dignam imprimìs cenſeo, quæ in edito Sanctorum Confeſſorum faſtigio collocata, & inſtar lucernæ ab humili privatæ conditionis modio ſubſtractæ fulgeat omnibus, qui in domo Dei ſunt, ſed præcipuè Religioſis ordinibus: qui cùm validior exercitûs Dei Sabaoth pars eſſe cenſeantur, cùmque in ſubſidium à divinâ Providentiâ languentibus Eccleſiæ viribus per temporum intervalla mitti ſoleant; providere oportet, ne virtus eorum ipſa quoque langueſcat, & opi quam promittit ferendæ idonea non ſit. Quid autem ad id præſtandum efficacius, quàm poſita in illuſtri glorię culmine exempla Sanctorum, qui in ſingulis Religioſarum familiarum cœtibus floruere, præſertìm noſtrâ patrum, & avorum noſtrorum memoriâ, quorum ornamento longè clariſſimo divinitùs affulſerunt hujus viri ſanctiſſimi vita, & res geſtæ; undè ad exemplar abſolutiſſimum Chriſtianæ perfectionis, hic patientiam, ille humilitatem, alius rigorem obſervantiæ, alius ingenioſam vitandæ humanæ gloriæ diligentiam, alius laudabilem in ſemet ſęviendi ad compeſcendas carnis illecebras rationem ſibi proponet: & nemo erit, quin ſuſpiciet communicatam homini imperandi rerum naturæ ab Omnipotente auctoritatem, cùm patrata ab eo miracula intuendo, mirabilem Dominum in Sanctis ſuis glorificabit, & propitium indè

interventu ſervorum ſuorum peccatis noſtris futurum interpretabitur; quandoquidem miſericordia ejus ſuper omnia opera ejus.

Iacobus tituli Sanctæ Mariæ de Pace Presbyter Card. Ninius.

Aeternæ Sapientiæ conſilio, Beatiſſime Pater, Petrus Apoſtolorum Princeps aſſumptus fuit in petram, tanquàm fundamentum Eccleſiæ ædificandę. Non diſſimili planè conſilio eadem Sapientia multiplex ad bonitatem, & artifex ad ſalutem, Petrum de Alcantarâ, non Apoſtolici, ſed Seraphici ædificii petram inſtituit; qui & nomine, & ſpiritu cum Apoſtolorum Principe conveniens, penè collapſam diſciplinæ formam reſtitueret. Sanctioris enim vitæ celſitudinem, à Seraphico Franciſco priùs erectam, humanâ tamen fragilitate ruentem priſtinę firmitati reddere volens, cogitavit de fundamento profundæ humilitatis, effoſſo ab aſſiduis laboribus, à rigoroſâ auſteritate, & omnes perfectionis apices adimplens, ad ſupremum faſtigium evexit. Multis, maximisque miraculis manifeſtavit Dominus in conſpectu gentium tanti Reparatoris virtutem: inter quæ viſus eſt, ut in his quoque apparêret obumbrata quædam ſimilitudo, ac veluti analogia cum Principe Apoſtolorum, ſiccis pedibus ambulare in fluminibus, ægrotos ab ultimo mortis confinio ad perfectam ſalutem momento temporis revocare, claudis pedum uſum reſtituere; quæ cùm ſint certa argumenta beatitudinis, renunciatæ etiam à San-

ctâ Thereſiâ,cenſeo à Sanctitate Veſtrâ Sanctorum cultum illi meritò decernendum eſſe,ad ſtatuendam Eccleſię,& Chriſtianæ Reipublicæ tranquillitatem.

Vitalianus tit.S.Agnetis Presb.Card.Vicecomes.

Beatisſime Pater. B. Petrus de Alcantarâ verè petra fuit, quæ ſola reſtituit Seraphicæ diſciplinæ collapſa ædificia; Amore ergà Deum,ac proximum flagrans, illius curam non omiſit, nec laborem evitavit: Nitidiſſimum fuit humilitatis exemplar, quâ ſpiritum vivificans, omnia comprimebat, adeò ut tam in bonis, quàm in malis, tam in honoribus, quàm in contumeliis æquam ſemper ſervaret mentem. Supereſt igitur, ut tantus vir, tot virtutibus in gradu heroico inſignîtus, qui bonum certamen certavit, infallibili, ac religioſo Sanctitatis Veſtræ oraculo, Sanctorum catalogo adſcribatur.

Iacobus tit.S.Sixti Presbyter Card.Roſpiglioſius.

Beatiſſime Pater. Ea eſt temporum conditio, ut nihil Eccleſiæ rationibus magis conſentaneum videatur, quàm heroicæ virtutis inſtituta fidelium imitationi proponere, auctisque è Cælo præſidiis ſtatuere Chriſtianam rem undique periclitantem. Vtrumque præſtabit Sanctitas Veſtra, ſi B.Petri de Alcantarâ eximiam ſanctitatem,tot jam, tantisque à Deo miraculis omnium admiratione probatam, Eccleſiæ univerſæ venerationi, Sanctorum ritu co-

lendam, exponat. Dum enim Deus ultionum admonet nos, ut fugiamus à facie arcus; & Christiani populi patientissimi viri exemplo ad beatam pœnitentiam accendentur, & contrà hostem immanissimum Cretam prementem, dum novo milite, novis armis Christiana classis instruitur, aræ quoque, quas violare ille cupit, novis interceſſoribus armabuntur, quorum virtute infirmi accingantur robore, & arcus fortium confringatur.

Franciſcus Sanctæ Mariæ in Viâ-latâ Diaconus Card. Maidalchinus.

Veracisſimæ Sapientiæ oraculum eſt ad intimam hominum virtutem diſcernendam: *Ex fructibus eorum cognoſcetis eos.* Hinc pro certo affirmare mihi licet B. Petrum de Alcantarâ jure optimo ad Sanctorum cultum eſſe promovendum; ut enim de miraculis taceam, ejus fructus, hoc eſt opera tam egregia, tam ſupra naturæ vires excellentia viſa ſunt, ut non-niſi à perfectiſſimæ ſanctitatis radice pullularint, adeòque tanquàm arbor cæleſti Paradiſo digna meritò ſit exiſtimanda.

Fridericus Sancti Nicolai in Carcere Diaconus Card. Haſſiæ.

Beatisſime Pater. Virtutes, & miracula fuêre ſemper clarisſima argumenta ſanctitatis. Recolimus B. Petrum de Alcantarâ virtutibus inſignem, & miraculis illuſtrem. Inſignem virtutibus declarant inter alia, profunda humilitas, excelſa charitas, perpetua

petua mentis in Deum elevatio, & admiranda potiùs, quàm imitanda vitæ auſteritas. Illuſtrem miraculis prædicant cæci videntes, ſurdi audientes, claudi ambulantes. Tot igitur virtutibus inſignem, & tot miraculis illuſtrem Sanctorum albo adſcribi poſſe humiliter ſubſcribo, ut quam admirabundi ſuſpeximus ſanctitatem militantem in terris, venerabundi adoremus triumphantem in Cælis.

Carolus S.Cæſarii Diac.Card.Carolus Barberinus.

Divinitùs planè conceſſum eſt Eccleſiæ Dei, Beatiſſime Pater, ut ſecreta illi cæleſtia ſolus pandat, cui non carne, aut ſanguine revelantur; ſed eo adſpirante innotefcunt, qui perennis eſt Spiritus veritatis. Huic concreditæ Cæli claves, ut impervia mortalibus, pervia faciens primus ſit in mirabilibus divinę potentiæ evulgandis, qui primus eſt in Apoſtolicâ dignitate. Beatus itaque Petrus de Alcantarâ magnificus in ſanctitate, ſemperque faciens mirabilia exigit profectò, ut ejus merita in tuto jam poſita, ea, quâ ſolus polles, edîcas auctoritate: Quando Anachoreticum illi rigorem, Patriarcharum meritum, Prophetarum virtutes, ejus demum, cujus gloriabatur nomine, ſigna collata fuiſſe contemplor. Eum quippè licèt ex Erêmi latebris ſola charitas abduxerit, inibi tamen auſteritas vitæ, humanum captum excedens, vel in ipsâ frequentiâ retinuit: Trecenta ſub arctiſſimâ illius diſciplinâ conſtituta Cœnobia, Patrem, atque Seraphici Patriarchæ

chæ æmulatorem conclamant: Futurorum admiranda prænunciatio, arcanorum ſenſuum intima perſcrutatio, S. Thereſiâ teſte, propheticum ei donum inditum fuiſſe convincunt: Ac denique toties calcata flumina ſine ponte, ſine navigio, renovata in illo Apoſtolorum Principis portenta contendunt. Nec mirùm, licèt per ſe mirabile, ſi elementa penè univerſa ſæpiùs ei fuerint famulata, quem fidelem, & amicum eſſe ſentiebant omnium Conditori. Par igitur eſt, Beatiſſime Pater, ut quem æternus Pontifex ei, cui vicariam ſui tradidit poteſtatem, miraculorum gloriâ propè coæquavit, hunc Veſtra Sanctitas Vicarius itidem Chriſti, Petrique ſucceſſor, in Cælis regnantium gloriæ adæquet, ejusque memoria, quę jamdiu eſt in benedictione populorum, Tuo ſapientiæ oraculo conſecretur.

Decius S. Euſtachii Diaconus Card. Azzolinus.

Rei Chriſtianæ pericula, quà Hæreticorum fœdere, quà incerto ex Infidelium artibus, & vi, Polonicæ electionis eventu, quà Turcarum armis Cretam durâ obſidione prementibus, voces Domini ſunt elevantis ſuper nos manum ſuam ad ultionem. Venerunt quippè gentes in hæreditatem ejus, & regionem ſanctam alieni devorant deſolantes in vaſtitate hoſtili. Quid igitur publico Eccleſiæ bono magis congruat, quàm ejus tutelâ aras munîri, qui inſcriptus eſt in judiciis temporum lenîre iracundiam Domini, & conciliare cor patris ad filios? B. Petrus

trus de Alcantarâ,cujus vita heroicę virtutis prodigium fuit,cujus mors abſorpta eſt in victoriâ charitatis,audire meruit Chriſtum S.Thereſiæ oranti dicentem:*Nihil à me petes Petri nomine,quod jugiter non concedam.*Ad nos profectò locutus eſt Deus in Sancto ſuo,qui pręcinctus virtute ad bellum confringat potentias,arcum,ſcutum,& gladium, & ad nihilum deducat inimicos noſtros;undè in diebus Sanctitatis Veſtræ oriatur juſtitia , & abundantia pacis, donec auferatur Luna à finibus noſtris.Beatum itaque Petrum de Alcantarâ Pontificio Sanctitatis Veſtrę judicio Sanctum dici, erit æquè jucunda , & expectata diù triumphantis Eccleſiæ gloria, ac ſimul opportunum columen , & ſolatium militantis.

Franciſcus Maria SS. Viti, & Modeſti Diaconus Card.Mancinus.

E Magni Franciſci ſcholâ,Sanctiſſime Pater,prodiit B.Petrus de Alcantarâ,non tàm virtutum pondere,quàm prodigiorum gloriâ tanto Magiſtro non impar Diſcipulus.Quid mirùm ſub Seraphico Cælo dare Stellas lumen ſuum , ſi de ipſo quotidiè canimus, quòd Eccleſiam Dei fœtu novæ prolis amplificet ? Ille ſub Innocentio Tertio viſus eſt alter Atlas humeris ſuis labentem fulcîre Lateranenſem Baſilicam , hic divinæ tuæ vocis oraculo inter Sanctos relatus , ſui nominis , & muneris minimè oblitus , novum Eccleſiæ columen, Chriſtianam Rempublicam in tot imminentibus calamitatibus , aſſiduâ protectione , defendet.

An-

Angelus Sancti Angeli in Foro Piscium Diaconus Card. Celsus.

Petrus de Alcantarâ, quem jure Virginem, & Martyrem dixerim, quòd duro, diuturnoque martyrio viventem sui corporis hostiam immolavit, verè humilis, & pauper, sed dives in meritis, in miraculis insignis, expedit, ut à Sanctitate Vestrâ in exemplum fidelibus proponatur, in quo singuli, quid imitentur, invenient: Vndè apparebit magis glorioſus, & mirabilis Deus in Sancto suo.

Paulus Sancti Georgii Diaconus Card. Sabellus.

Debentur B. Petro de Alcantarâ cæleſtes honores, eâ potiſſimùm de causâ, quia terrenos planè contempſit. Propterea cùm Deus de lapide pretioſo in capite ejus diadema poſuerit miraculorum, atque virtutum; decet ut etiam apud homines coronetur laureâ Sanctorum: & qui ſe in terris humiliavit, in terris quoque exaltetur. Cenſeo itaque eximium hunc Virum, egregièque de Eccleſiâ meritum, Divorum faſtis adſcribendum eſſe, ut quem admodùm Franciſco Parenti ſuo animi demiſſione, charitate Chriſti, mortificatione, ſimillimus vixit in terris, nunc conjunctiſſimus regnat in Cælo, ſic etiam in Templis pari veneratione adoretur, & cultu.

Si-

Sigiſmundus S. Mariæ in Domnicâ Diaconus Card. Chiſius.

Si Regnum Cęlorum vim patitur, Beatiſſime Pater, & violenti rapiunt illud, facile eſt credere Beatum Petrum de Alcantarâ jam rapuiſſe, & feliciter nunc poſſidere, utpotè qui in militanti Eccleſiâ, quę dicitur ut Caſtrorum acies ordinata, cuſtodivit vias duras, & currens per arduas Chriſtianæ perfectionis ſemitas, propriis ſubactis affectibus, violentiâ quâdam ad ſuperiora conſcendit, non minùs jugi meditatione, & aſſiduâ oratione, quàm per continuos labores, & non intermiſſa pericula, ut animas Chriſto lucrifaceret, & religionis formam repararet; In quo adeò prævaluit per arma aſperrimæ pœnitentiæ, ut jure merito in Sanctorum numerum adſcribi poſſit, & debeat, tanquàm exemplar memorabile datum ambulantibus in carne, ut ſecundùm carnem non militent.

Stephanus Vgolinus Patriarcha Conſtantinopolitanus, Aſſiſtens.

Vota Dominorum Prælatorum.

Beatiſſime Pater, Seraphicæ familiæ jubar, Evangelicæ paupertatis ſtudioſiſſimum ſectatorem, mortificationis religioſæ prodigium, B. Petrum de Alcantarâ imponere ſacris Aris, tum pro illius imitatione aſſequendâ, tum pro ope divinâ per ejus interceſſionem impetrandâ, expedire cenſeo, ita ſuadente Sanctâ Thereſiâ, quæ nihil ad ſalutem conducibile affirmavit ſe præſtitiſſe, quod B. Petro au-

thore non egerit, ac ſibi per quietem oranti retulit dictum à Chriſto: *Nihil à me petes nomine Fratris Petri, quod ego tibi non concedam.*

Iacobus Altovitus Patriarcha Antiochenus, Aſſiſtens.

Beatiſſime Pater. Petrum de Alcantarâ admirandæ ſanctitatis virum, qui per ardua quæque ſecutus eſt Chriſtum, cujus amore vehementer ardebat, jure optimo Sanctis adnumerandum cenſeo, quum eorum virtutes æmulatus omnium virtutum laude cumulatus ſit, & præcipuè ob eam, quam ipſe in Deo fiduciam certâ ſemper cum ſpe collocavit.

Camillus Maſſimus Patriarcha Hieroſolymitanus, Aſſiſtens.

Beatiſſime Pater. Humanarum rerum conditio eſt, ut quò longiùs à primordiis recedunt, eò graviùs in deteriora labantur. Ab hac autem viciſſitudine nec ipſa Catholica Eccleſia immunis eſt, quæ à Chriſto ſanguine ſuo fundata, & Apoſtolicâ prædicatione per univerſum Orbem mirabiliter propagata, perpetuâ tamen luctâ, à quâ Militantis nomen ſortitur, concuſſa, à primævâ inſtitutione quandoque deficeret, niſi ope divinâ ad priſtinum vigorem reduceretur. Hoc Innocentio Tertio divinitùs oſtenſum fuit, cùm Franciſcum Aſſiſinatem vidit Lateranenſem Baſilicam corruentem ſuis humeris ſuſtentare. Nemini enim ignotum eſt, quantùm contulerit ad Eccleſiæ reſtaurationem Ordo Minorum exem-

exemplo,& doctrinâ. Sed hoc decurſu temporis ſeneſcente,divina Providentia B.Petrum de Alcantarâ præelêgit,qui novâ reformatione ad Evangelicæ vitæ rigorem reduxit Ordinem, & devias fidelium mentes ad pœnitentiam, Deique amorem verbo, opere, & miraculis excitavit. Non eſt hîc locus recenſendi mirabilia, quæ fecit in vitâ ſuâ, quandoquidem hęc jam diſcuſſa,& omnibus manifeſta ſunt. Hoc ſolùm reſtat, Beatisſime Pater, ut infallibili Sanctitatis Veſtræ oraculo, Sanctorum numero adſcribatur, quem ſanctimoniæ ejus teſtis irrefragabilis Sancta Thereſia perſpexit luce redimitum in Cęlis triumphare.

Aegidius Columna Archiep.Amaſienſis,Aſſiſtens.

Servi Dei,Beatiſſime Pater, cùm ea, quæ agunt, humanam excedere conditionem videntur, in altiſſimo quoque venerationis gradu conſtituendi ſunt. Certè inter Servos Dei, quos antecedenti ſeculo Divi Franciſci familia coluit, B. Petrus de Alcantarâ tam præclarum locum habet, ut ob ejus vitam planè admirabilem, non ſolùm eidem Divi Franciſci familiæ,ſed univerſæ Eccleſiæ ſit commonſtrandus tanquam ſpeculum Sanctitatis.

Franciſcus Caëtanus Archiep.Rhodienſis,Aſſiſtens.

B. Petrum de Alcantarâ, Sanctiſſime Pater, Virum per quadraginta ſeptem annos aquâ, & igne

probatum à Deo, vaticinia Prophetam: miracula Thaumaturgum: consilia Doctorem: vitæ asperitas Anachoretam: reformata regula Patriarcham: revelatio S. Theresiæ Sanctum ita clarè testantur, ut additis iis, quibus ipse post mortem miraculis illustratus est, nihil desit, quò minùs in hoc solemni judicio sententiam ultimam feras, tum de ipsius sanctitate ante mortem, tum de ejusdem post mortem gloriâ. Pro illâ enim habes fidem operum, & hominum omni exceptione majorum. Pro hac verò etiam evidentiam miraculorum habes, hoc est testimonium Dei.

Franciscus Nerlius Archiep. Florentinus, Assistens.

In B. Petro de Alcantarâ patiendi pro Christo tanta cupiditas exarsit, ut non contentus carnem prorsus edomitam, & spiritui omninò subjectam, assiduâ corporis afflictatione, ac durissimis cruciatibus reddidisse, visus sit inextinguibili quâdam martyrii siti penitùs æstuare; & quando pro temporum conditione, facultas non dabatur unico haustu plenum calicem ebibendi, crebris saltem degustationibus, optati potûs dulcedine perfrui studuisse. Amoris igitur divini tam ardenti flammâ virum incensum, utque tot illustria miracula testantur, altioris Ordinis in cælo Beatum, si Sanctitati Vestræ placuerit, honoribus etiam in terrâ cælestibus colendum esse censerem.

F. Tho-

F. Thomas de Sarriâ Archiep. Tarentinus, Assistens.

In vitâ magni istius Servi Dei Petri de Alcantarâ, nihil est, quod non excelsam spiret sanctimoniam. Ille tot austeritatum perpetuus rigor: illud tam ardens studium resuscitandæ in Ordine Seraphico votivæ paupertatis: illa heroica tolerantia persecutionum, quæ nusquam desunt reformatoribus collapsæ disciplinæ: illa tot Religiosarum Provinciarum numerosa fundatio: illa denique inter applausus seculi invicta semper humilitas, clamant satis pro jure in Sanctorum catalogum referendo. Itaque meum ab his votum discrepare nec debet, nec potest.

Stephanus Brancatius Archiepiscopus Adrianopolitanus, Assistens.

Cursum suum, ac certamen verus Christi Athleta feliciter, ac gloriosè consummavit B. Petrus de Alcantarâ. In hunc enim cursum, Beatissime Pater, per summam ille paupertatem nudus sese commisit, non alio recreatus pabulo, quàm jejunii, & assiduis corporis afflictationibus, tanquam calcaribus extimulatus, alasque, quibus citiùs advolaret, divinus amor adjunxit. Fidem constanti obtutu in finem usque servavit, & oculos ad singularem modestiam, animum ad profundam demissionem composuit, ne aliud respiceret, quàm metam omnium votorum Deum, nec ad aliud adspiraret, quàm ad supernæ vocationis bravium. Coronam profectò justitiæ,

ſtitiæ, & gloriæ, quam ut ait Apoſtolus, diligentibus ſe repromiſit, reddidit illi juſtiſſimus Iudex Deus. Teſtantur hoc varia ad ſeveram trutinam expenſa miracula, ſi non ſatis ſit illud præcipuum, nempe Petrus ipſe perpetuum pœnitentiæ miraculum. Iure igitur poteſt S. V. authoritate Dei vicaria, coronam hanc palàm B. Petri capiti in terris imponere, eũq; pluſquã regalibus Sanctorum faſtis adſcribere.

Iacobus de Angelis Archiepiſcopus Vrbin. Aſſiſtens.

B. Petrus de Alcantarâ, pręclarum virtutum omnium exemplar, in Theologicis præcipuè refulſit illuſtrior; etenim Apoſtolorum Principem feliciter æmulatus, non ſemel, nec timens, nec dexterâ Domini, ne mergeretur, erectus, ſed impavidus, & ſolâ Fide ſecurus, ſexies rapidiſſimorum fluminum ſicco veſtigio ambulavit in fluctibus. Firmiſſimâ Spe conſequendi cæleſtia roboratus, nudis pedibus ſemper incesſit, ut vocatus à Domino tanquam Moyſes, in ſolvendis calceamentis ne momento quidem immorari cogeretur. Incenſus amore Dei, quem ubique adeſſe ſciens, ubique adorabat, detecto capite ubique permanſit; & hoc igneo turbine Elias alter evectus, ſui ipſius currus, & auriga familiari extaſis raptu ferebatur ad Cælum. Cùm itaque B. Petrus tantarum virtutum præmiis jampridem, Domino retribuente, fruatur in Cælis, par eſt, ut eadem, Sanctitate Veſtrâ decernente, à publicâ fidelium veneratione conſequatur in terris.

Fe-

Federicus Vbaldus Archiepisc. Cæsareæ, Assistens.

Beatissime Pater, B. Petrus de Alcantarâ ab ineunte ætate usque ad extremum spiritum in præceptis Domini ambulavit, neque offendit ad lapidem pedem suum, morum candôre illibato, & inauditâ vitæ asperitate, dignus, in quo Deus mirabilia magna faceret; nullum tamen majus miraculum in eo fuit, quàm quod in se ipso patravit, imbecille corpus nunquam penè interruptis vigiliis, orationibus, jejuniis per Cæli, terræq; injurias exercendo, quoad vixit; Quamobrem censeo, si Sanctitati Vestræ videbitur, in Sanctorum album referri posse, ut ejus laudes nuntiet Ecclesia.

Franciscus Maria Phœbeus Archiepiscopus Tarsensis, Assistens.

B. Petrum sacris Aris imponi tutò posse non hęsito, Beatissime Pater, cùm virtutes ejus heroicas, sequentium tot signorum infallibili charactere, Dei digitus indicaverit; ac rigidus illius vivendi modus, & afflictandi corporis ratio luculenter insinuent, nos pariter (ac Petrus ipse dum viveret) corporum mole graves, affectibus subjectos, tentationibus obnoxios, per humilem mortificationis, & pœnitentiæ tramitem, ad Christianæ perfectionis apicem pervenire, & omnia posse in eo, qui nos confortat: quisquis, divino fretus auxilio, effrænes animi motus, sensusque rationis imperio subjiciat.

Ca-

Carolus de Vecchiis Archiep. Athenarum, Assistens.

Cum Sanctitas Vestra tenuitatem meam amplissimæ Regularium Congregationi à Secretis esse, pro eximiâ suâ benignitate, voluerit: Ejusdem beneficio fit, ut ego in uno regulari viro B. Petro de Alcantarâ integram agnoscam praxim universæ illius Theoriæ, quam in eâdem Congregatione ad regularem disciplinam vel retinendam, vel reformandam sapientissimorum Patrum responsis, ac decretis exquisitè descriptam, quotidiè pro muneris mei ratione venerabundus admiror. Etenim vir ille zelator, atque acerrimus instituti regularis custos non plumbeâ illâ Lesbiâ regulâ, sed aureâ indeflexâ vitam suam ità dirigebat, ut rectus corde, recta locutus, rectum faceret coràm Domino. Sapienter itaque, ac piè (ut cætera omnia) Sanctitas Vestra faciet, si B. Petrum, absolutissimâ regularis disciplinæ observantiâ, & miraculis admirandum, universæ Ecclesiæ, & religiosis præsertìm familiis, publicâ veneratione, & peculiari imitatione colendum proponet.

Bernardinus Roccius Archiep. Damascenus, Assistens.

B. Petrum de Alcantarâ, Beatissime Pater, verè justum ab ipso exortu deduxit Dominus per vias rectas, & illi regnum Dei simul ostendit, simul terrarum contemptum, ac fugam seculi persuasit. Ad Cæli proindè currendam viam, rerum omnium abdica-

dicatione, religiosæ vitæ complexu, pœnarum omnium usu, odio sui, amore Dei, animarum zelo, divini verbi ministerio, contemplationis assiduæ studio, virtutum denique omnium, ac sanctimoniæ præcelsæ passibus exultavit, ut Gigas. Consummato vitæ cursu, tot tantisque meritis debitum bravium gloriæ illum accepisse, miracula ipsius plurima, maximaque, ingenti voce deprædicant. Ex merito itaque factum iri censeo, si Sanctorum honoribus aucto plaudere illi militantem Ecclesiam oraculum Sanctitatis Vestræ decernat.

Fr. Ioseph della Corgna Episc. Vrbevetanus, Assistens.

Beatissime Pater, B. Petrum de Alcantarâ, dum in terris degit, perenne miraculum fuisse dixerim. Quandoquidem Mariæ Magdalenæ optimam partem, & Marthæ simul solicitudinem in gradu heroico mirum in modum conjunxit, diu, noctuque ferè insomnis ad pedes Domini, audiendo verbum illius, & pro arctiori observantiâ religiosæ familiæ, cui præerat, ac animarum salute jugiter satagendo. Atque ut Christi passionem in carne suâ impleret, sęvissimam austeritatem in se suprà humanas vires, quoad vixit, exercens, supernaturali prorsùs robore, viribus non defecit, & sexagenario major mortalitatem explevit. Proinde cùm Dominus hunc servum fidelem in ferendâ Cruce pro sui imitatione, & sequelâ, prudentem pariter, & vigilantem in solicitudine adhibitâ invenerit, adeò ut pro certo haberi

debeat, quod illum in ſuum admiſerit gaudium; rationi conſonum eſſe cenſeo, ut eundem Sanctitas Veſtra ad totius militantis Eccleſiæ gaudium Sanctorum cultu honorari decernat.

Paulus Aemilius Alterius Epiſcopus olim Camerinenſis, Aſſiſtens.

Humilem Servum Dei Petrum, quaſi petram, quam inepti mundi ſectatores reprobaverant, pœnitentiæ ſcalpro ſatis expoliatam, non modò in angulo, ſed in militantis Eccleſiæ fronte, ad comprobanda divina oracula Sanctitas Veſtra Sancti Spiritûs ſuffragio fabricæ hujuſcæ Præſes, inauguratam collocare non differat.

Gregorius Bolognettus Epiſc. olim Reatinus, Aſſiſtens.

Beatiſſime Pater, B. Petrus de Alcantarâ virtutum heroicarum præſtantiâ, ac miraculorum gloriâ clarus, qui ad Dei cultum augendum, & animarum ſalutem laboribus ſemper indefeſſus quamplures Provincias, ac ultra trecenta Cœnobia Seraphicę familię ſtrictioris diſciplinæ in remotioribus Orbis partibus admirabiliter fundavit, in quibus eadem, quâ ipſe flagravit, emicat flamma charitatis, & qui ad extremum uſque ſpiritum inſigni pietate, ac vitæ auſteritate ſe ipſum eximiæ ſanctitatis præbuit exemplar, quemque meritis plenum puriſimâ luce circumfuſum, mortis momento, Sancta Thereſia Cæli regna conſcendere vidit ſibi dicentem, per-

go

go ad æternam gloriam, jure merito in Sanctorum albo describendum censeo.

Laurentius Gavottus Episcopus olim Vintimillensis, Assistens.

Petrum de Alcantarâ, Beatissime Pater, mandatis, & consiliis integrè servatis, in lege Domini sic ambulasse, ut abundaret magis, & magis abundasse, innumera sanctissimè gesta plenissimè comprobarunt. Adhuc in viâ cum Cælitibus versantem, visione divinâ, quâdam veluti inchoatâ beatitudine dignatum accepimus. Soluto corpore, statim eunte in Cælum, se de longè vidisse fatetur S. Theresia. Ingressum ad vitam firmant omninò miraculorum prodigia subsecuta, glorioſa triumphantis apparitio. In Cælo utique regnanti, ritè Sanctitas Vestra, cui meritò summa Clementia nomen dedit, ferentium vota clementer excipiens, Sanctorum titulos decernet in terris.

Iosephus Maria Suaresius Episcopus olim Vasionensis, Assistens.

Beatissime Pater. Tam excellens prærogativa, quàm ingens est operæ-pretium potestas summa, quâ Sanctitas Vestra eos renuntiat in Orbe Christiano Sanctos, quos virtute, atque prodigiis insignes æternâ frui gloriâ compererit; sic enim demonstrat Sanctorum communionem, & continuum Militantis Ecclesiæ cum Triumphante commercium, assistente Christo Domino Sanctitati Vestræ

in Cathedrâ Petri, ut ea, quæ perfecta ſunt eminùs, Sanctitas Veſtra cominùs indubitatè declaret. Neque comperendinandum diutiùs videtur in B. Petro de Alcantarâ promulgando Sancto, qui ſanctimoniam tot beneficiis vires naturæ ſupergreſſis jamdudùm comprobavit. Pœnitentiâ præſertìm effulſit: humilitate, cæleſtique amore S. Franciſcum expreſſit, cujus ille familiam auſterioribus adſtrictam legibus, quaſi ſuperfœtans, numeroſis Cœnobiis ampliavit. Iure igitur optimo Sanctitas Veſtra utetur prærogativâ ſuâ, quando cuncta diligenter expendît, ſolemnesque ritus adhibens operæ-pretium fecit, opemque Numinis de more imploravit, & emeruit. Quod itaque felix, fauſtumque ſit, & Reipublicæ Catholicæ ſalutare, B. Petrus de Alcantarâ Sanctus habeatur ſanctione Sanctitatis Veſtræ, & omnes fideles populi ubique terrarum, eum quâ decet, veneratione proſequantur.

Gaudentius Polus Epiſcopus Amerinus, Aſſiſtens.

B. Petrus de Alcantarâ, Beatiſſime Pater, electus à Deo, ut ſtrictiore obſervantiâ pararet Domino plebem perfectam, perfectus ipſe omni virtute, ac planè mirabilis in ſanctitate, ſuos, & ſuorum pedes, exemplo vitæ, operumque miraculis direxit in viam pacis. Dignum illum propterea judico, ut quorum expreſſit merita, gloriam etiam accipiat à Sanctitate Veſtrâ Sanctorum.

Fr. Bo-

Infallibilis Sanctæ matris Eccleſiæ vaticinium eſt, Beatiſſime Pater, ſe Patriarchæ Franciſci meritis ſemper à Domino novo fœtu multiplicari, quod in Beato Fratre Petro de Alcantarâ conſpicitur. Qui in heroicis ſui Seraphici Parentis imitator virtutibus, ex puſillo Minorum grege, Superiorum obedientiâ munitus, abiit in regionem longinquam, & non ferro, aut bellicis contectus armis, ſed oratione, & ſpiritualibus virtutum ornatibus decôrus, de dæmone, & mundo adeptâ victoriâ, pluribus commilitonibus adjunctis, triumphavit; & non ſibi, ſed Franciſco, ſed Chriſto Ieſu, Regnum, vel Regna (Monaſteria multa, etiam apud Mexicanos, & Indos fundando) acquiſivit, & altiſſimæ paupertatis theſauro ditavit. Quæ Dominus per Servulum mirandis operibus confirmavit. Pluribus itaque Petro referto meritis, probatisque claro miraculis, cæleſte ei regnum (ut credimus) æterno Patri complacuit elargiri. Quapropter ad Dei gloriam, & Chriſtiani Orbis jubilum ſpirituale, ſacris Sanctorum faſtis adſcribendum humiliter cenſeo, & ſuppliciter addo preces.

Matthæus de Ianuario Archiepiſcopus Rheginus.

Præclaræ Beati Petri de Alcantarâ virtutes, & mirabilia, quæ Deus eodem intercedente operari dignatus eſt, eximiam viri ſanctitatem, & ſummam

Dei

Dei in illum benevolentiam mirè teſtantur; ſiquidem præfervidæ adoleſcentiæ motus ab eo cohibiti, corpus pœnis ultrò irrogatis edomitum, & ille omnium virtutum comitatu inſtructus charitatis ardor in Deum verè Seraphicus, ex quo prodiere trecenta, & ultrâ Religioſorum Cœnobia, & Chori Deum diu, noctuque ſuo Vicario ore jugiter laudantes, velut totidem clariſimi ejus ſanctitatis radii præfulgent. Aequum igitur eſt, ut Beati hujus ſanctitate declaratâ, ſapientiam ejus diſcant utriuſque Ordinis Sacerdotes, laudem narrent omnes populi, & gloriam enunciet univerſa Eccleſia Sanctorum.

Ὁ Ταπεινὸς Μητροπολίτης Δερρῶν Ὀνούφριος Ὑπέρτιμος, καὶ ἔξαρχος δευτέρας Μακεδονίας ἰδίᾳ χειρί.

ΠΆνυ πεποίηκε (Μακαριώτατε καὶ παναγιώτατε Πάτερ) ὅμως καὶ πεπαύμαι, ὃς ἔστιν ἡ θεία χάρις, καὶ ἡμῖν ἀνεκλαλήτως ἐδόξασε, ὑπὸ τῆς τῶν πιστῶν πληθύος ὁμοίως δοξαθήσεσθαι, ἐπεὶ γὰρ ἡ τιμὴ αὕτη, καὶ δόξα εἰς τὸν δοτῆρα τῶν ἀγαθῶν λαμπρῶς ἀναφέρεται. τούτου χάριν τῷ παρόντα μακάριον, καὶ ὄντως μακάριον Πέτρον, λέγω, ἐκ τῆς Ἀλκαυτάρας (ὡς ἐν ἑνὶ λόγῳ τὸν ἀγγελικὸν αὐτοῦ βίον καὶ πολιτείαν ἐρῶ) τύπτην τῶν ἀρετῶν ἀνακηρύττω, ἐραστὴν ἀξιέπαινον, καὶ μιμητὴν δόκιμον τῶν παθῶν τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἀσκητὴν πεπρωμένον, καὶ ἐν σώματι ἄγγελον θαυματουργὸν ἀτυπωτότατον ἐν ἔργῳ καὶ λόγῳ μάλιστα δὲ ὅπου τὰ τοῦ ποταμοῦ ῥεύματα

ἀβρόχως

ἀβρόχως περιπατήσαντα, ὡς ὅπι τὰ τῆς θαλάσσης κύματα ὁ ὁμώνυμος ἀπὸ (ὁ κορυφαῖος φημὶ τῶν ἀποστόλων) περιπάτησέ ποτε, ἡ σὴ μακαριότης ὡς μὲν τοῦ κορυφαίου μάδοχος, τοῦ Χριστοῦ δὲ τοποτηρητὴς, δεξαμένη τῶν πιστῶν τὰς προσκλήσεις, ἀναμφιβόλως δυσὶ συναριθμεῖν αὐτὸν ἐν τῷ χορῷ τῶν ἐπουρανίων πολιτῶν. καὶ ἡμῖν προσβάλλειν ὡς ἐπικῶς προσκυνησόμενος εἰς πάντων σπέρδειν καὶ βοήθειαν. καὶ τῆς Χριστοῦ Ἐκκλησίας ἀκαταμάχητον περιτείχισμα. οὕτω μακαριώτατε Πάτερ περιέχει ὁ κοινὸς ψῆφος τῶν συμπαρόντων ἀδελφῶν ἐν τοῖς ποσὶ τῆς μακαριότητός σου μαρτύρομαι, εἴπερ φανήσεται βεβαοδοξαι, ἐπειδὴ δὲ ἀψευδὲς ἐπάγγελμα τῆς ἀῤῥήτου σοφίας ἐνδυναμοῖ, λέγον. οὗ γάρ εἰσι δύο, ἢ τρεῖς συνηγμένοι εἰς τὸ ἐμὸν ὄνομα, ἐκεῖ εἰμι ἐν μέσῳ αὐτῶν.

QVOD in gratiam Lectorum Latinum reddimus.

Onuphrius Constantinus Metropolita Debrarum, & Secundæ Macedoniæ Exarchus.

Valdè decet, Beatissime, & Sanctissime Pater, imò & necesse esse puto, quos divina gratia coronavit, & ineffabili honore glorificavit, glorificandos pariter esse à fidelium multitudine, dummodò honor hic, & gloria in bonorum datorem illustrè redundet. Quamobrem præsentem Beatum, & verè Beatum, Petrum, inquam, de Alcantarâ, ut uno verbo angelicam ejus vitam, & normam dicam, typum virtutum pronuncio, dignum amatorem, & probum imi-

imitatorem pasſionis Domini Noſtri Ieſu-Chriſti, aſcetem inſuper, & in carne angelum, Thaumaturgum ſimiliter opere, & verbo, principaliter autem ut ambulantem ſuper fluminis fluctus, ſicut ſuper maris undas ei conſimilis nomine, Coryphæus, inquam, Apoſtolorum aliquando ambulavit; Tua Beatitudo, ut Coryphæi ſucceſſor, Chriſti autem Vicarius, acceptans fidelium preces indubitanter poteſt eum connumerare Choro Cæleſtium habitantium, & nobis proponere, ut relativè adorandum in omnium ſecuritatem, & auxilium, Eccleſiæ autem Chriſti inexpugnabile munimentum. Sic, Beatisſime Pater, ſe habet communis opinio compræſentium fratrum juxtà pedes Tuæ Beatitudinis poſita, ſi videbitur confirmare, dum infallibilis promisſio inexplicabilis Sapientiæ corroborat, dicens:

Matth. 18,20. *Vbi enim ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.*

Ioſeph Ciantes olim Epiſcopus Marſicenſis.

Cùm Sacra Rituum Congregatio in Beati Petri de Alcantarâ vitæ examine adeò diligens fuerit veritatis exploratrix, ut nihil ambiguum eſſe permiſerit, ſed viam ſibi, & aliis ſternens, omnia tùm de illius virtutibus, tùm de miraculis expoſita, prompta, & clara fecerit, quorum notitiam conſecutus, ego ex poteſtate, quæ ad Epiſcopos, Beatisſime Pater, ex Tuâ ſufficienti efficacitate emanat, ſecundùm extenſivum tantummodò modum, quo ſtellæ à Sole

le illuminationem recipiunt, tanquàm obſequens ex eâdem inquam virtute eundem inter Sanctos eſſe adſcribendum cenſeo à Te, ut à ſupremo Paſtore, ad quem rerum ad fidem ſpectantium omnis infallibilis determinatio devolvitur.

Vincentius Vincentinus Epiſcopus Hieracenſis.

Non immeritò huic tẽpori, quo Paſchalis Agnus immolatur, de honoribus B. Petri de Alcantarâ agitur, qui quotidiè ſacrificium peragebat, ut ſimul ipſe ſe Deo immolaret, ac cæſa victima ipſemet eſſet, dum attenuatum jejunio, confectum vigiliis, ferreâ catenâ diſcerptum, immiti flagello ſub finem ſacrificii cruentaret. Dignus profectò, quem cæleſtis in meditatione exardeſcens ignis totum abſumeret in Deum, totum in proximorum ſalutem, creſcente incendio derivaret, ac Seraphicam Religionem tot dignis reformationibus reſtauraret, novi Inſtituti Reformatorum Diſcalceatorum ſe præbens exemplum. Dignus denique, qui ad thronum Agni evocatus, in Sanctorum conſortium ſit exoptatus. Hoc ipſum poſtulant præclara ejus, tum in vitâ, tum poſt obitum miracula, tanquàm Dei ſuffragia de mortalium ſanctitate, ac beatitudine ſententiam pronunciantis. Id unum reſtat ad cumulum hujus Beati gloriæ, ut quem Nos æſtimatâ viri ſanctitate, virtutibus, ac miraculis, dignum Sanctorum honoribus judicemus, Sanctitas Veſtra, cui abſcondita ab oculis hominum revelat luminum Pater, oraculo nunquàm fallente, decernat.

Sanctisſime Pater. B.Petrus de Alcantarâ Ordinis Minorum ità heroicis virtutibus enituit, & miraculis claruit, ut communi omnium ore ſummis laudibus extollatur. Petrus ædificii ſuæ reformationis fundamentalis petra; Petrus inſtar alterius Petri ſuper aquas gradiens; Petrus, qui quaſi ambulans ſuper pennas ventorum viſus eſt conſcendere Cælum, non ne inter Cælites commendandus? Commodum ergo accidit, ut quemadmodùm in cæleſtibus tanquàm prodigium factus eſt multis, ità ſit adjutor fortis, & in præſenti pro Cretæ, & Sarmatiæ regnis apud Deum interceſſor adhibeatur. Ob id illum à Sanctitate Veſtrâ ſolemni ritu, & canonico Sanctorum cultu condecorandum eſſe exiſtimo.

Philippus Iacob Epiſcopus Policaſtrenſis.

Beatiſſime Pater. Amor Dei, & proximi fundamentales duo ſunt lapides ſanctitatis in B.Petro de Alcantarâ. Amor Dei in contemptum mundi honorum in aulâ Caroli V. ſemper Auguſti: in recurſum religionis per Angelos tranſacto flumine: in triennali voluntariâ cęcitate pro ſeculi oblectamentis fugandis. Amor proximi enituit, cùm omnibus omnia factus ad viliora pauperum officia deſcendebat, miſeris verbo, & exemplo neceſſaria ſuppeditabat, Fratribus alimenta cæleſtia deſperato tempo-

re

re miniſtrabat. Iactis fundamentis charitatis, neceſsè crevit ędificium ſanctitatis, quod Sanctitas Veſtra toti mundo jam erectum emicare faciet, illi publicos eccleſiaſticos honores tradendo.

Marcellus Phylonardus Epiſcopus Aquinas.

Beatiſſime Pater. Victoribus triumphus decernebatur à Romanis, ut fidem faciunt tot fornices, qui modò vel ſuperſunt, vel temporum injuriâ inter ingentes jacent ruinas. Certè æquiori jure Sanctitas Veſtra triumphales honores decernit ſanctis viris, qui non per hoſtium cædes, neque per eorum ſpolia, & captivitates victoriam retulere; ſed per Chriſtianarum virtutum tela vicerunt humani generis perpetuos perduelles, nempè mundum, carnem, & dæmonem, negatis corpori oblectamentis, & prælo patientiæ excruciatis ſenſibus. Id meritò aſſecutus fuit B. Petrus de Alcantarâ Ordinis Seraphici, non tam alumnus, quàm propagator Sancti Franciſci Minorum Patriarchæ ſedulus imitator, Hiſpaniarumque Cæli lucidiſſimum Sydus. Ab ineunte enim ætate de virtute in virtutem progrediens, ab arctâ rectitudinis ſemitâ non declinavit modò, ſed totis viribus patrimonium, quod acceperat, hoc eſt animam omni genere virtutum excultam ſervare ſtudens, ad perfectionem contendit. Propterea generis nobilitatem, domûs commoda, mundique illecebras arbitratus eſt, ut ſtercora; ut Chriſtum lucrifaceret. Seraphicam regulam amplexus,

xus, regula ipſe fuit morum, & diſciplinæ, & ut à præſcripto tramite Seraphici Parentis filii non declinarent, ipſe auctor fuit, fundatis pluribus Cœnobiis, in quibus prudentem, ac fidelem conſtituit eum Dominus ſuper familiam ſuam; ordinavitque in eo charitatem, quam aquæ multæ non potuerunt extinguere, neque flumina obruêre; nam in carne gradiens Angelorum regionem obtinuiſſe viſus eſt; & nihilominùs quantò altiùs elevabatur, tantò humilior fiebat. Aſſiduè pœnitudinis aſperrimæ exercitationes, jejunia, & cilicia, flagra, & alia hujuſmodi domandi carnem inſtrumenta, non ad horam, neque bis, aut ter in hebdomadâ, ſed ſemper, & cum dono perſeverantiæ uſque in finem adhibuit, & cùm ſemper oraverit, & nunquàm defecerit, ac per altiſſimam contemplationem Deo ſe conjunxerit, legem Domini meditando die, ac nocte, Beatus eſt, divino Oraculo id docente. Quæ quidem miraculorum gloria cumulata, ut ejus acta, rigoroſo examine diu diſcuſſa, luculentiſſima reddunt teſtimonia, abundè ſuppeditant rationem Sanctitati Veſtræ declarandi infallibili eloquio ex Cathedrâ, eum cum Chriſto in Cælis regnare, quo cum in terris compaſſus eſt, & cujus vexillum mirabiliter extulit. Inſerat igitur Sanctitas Veſtra tam inſignis Herois nomen cœtibus Sanctorum, Turcicoque furori objiciat ejuſdem glorioſa merita, Cretam proculdubio ſtrenuè propugnatura, abigatque Deus ab illis tractibus Chriſtiani nominis hoſtes, totique Chriſtiano Orbi tranquillitatem largiatur & pacem.

Guar-

Iure optimo, Beatiſſime Pater, in album Sanctorum referendus eſt B. Petrus de Alcantarâ, qui virtutum omnium imaginem in ſe mirificè expreſſit; ità ut quam ex illis præcipuè laudandam ſeligam, ratio minimè ſuggerat; cùm in tanto viro omnes æquè emicuerint pietas, religio, vitæ innocentia, morum probitas, ſcientia planè cæleſtis, prudentia in rebus agendis, temperantia in vivendi ratione, fortitudo in adverſis, ineffabilis in proprii corporis maceratione ſeveritas, arctiſſimâ in paupertate liberalitas in pauperes eximia, ità ut mirum eſſe non debeat, & viventem in terris, & in ſepulchro defunctum, tot tantisque claruiſſe miraculis illum, cujus vita fuit verè, ac ſemper miraculum.

Ioſephus Palermus Epiſcopus Converſanus.

Beatiſſime Pater, Seraphicæ charitatis imago, pœnitentiæ prodigium B. Petrus quot mirabilia fecit, tot erga ſe divini amoris, tot erga proximum ſuæ dilectionis edidit argumenta; ejusque in ſtrictioris obſervantiæ reformatione, uſque in fines Orbis terræ zelus emicuit. Aequum eſt igitur, ut dilectum Deo, & hominibus virum, virtutum ſplendoribus coruſcantem, Sanctitas Veſtra ſimilem reddat in gloriâ Sanctorum, & laudem ejus nunciet Eccleſia.

Ioannes Carolus Valentinus Episcopus Civitatis Ducalis.

In Beato Petro de Alcantarâ singulare studium Evangelicæ paupertatis, & infima abyssus profundæ humilitatis certò certiùs persuadent verè hunc fuisse de grege pusillo eorum, quibus æterno Patri complacuit dare regnum. Quem igitur humilium celsitudo in suum regnum recepit, tutò potest Sanctitas Vestra civem Sanctorum, & domesticum Dei declarare, & Ecclesiam, quam Deus humilitate vult crescere, hujus Beati Canonizatione decorare.

Camillus Piazza Episcopus Dragonensis.

Beatissime Pater, Petrus de Alcantarâ arctam mandatorum Dei viam, quæ ducit ad vitam, divino eruditus oraculo accepit, & Spirito Sancto dilatante cor ejus feliciter cucurrit. Etenim Fratrum Minorum Ordinem non sine miraculo ingressus, statim inflammari cœpit altissimo paupertatis amore, deque restituendâ Seraphici Patris regula cogitare; tùm ad rem tàm præclaram perficiendam patientiâ, humilitate, fortitudine, cæterisque virtutibus se præmuniens, opus laudabiliter complevit Cœnobiis ampliùs trecentis exædificatis, ubi veterem illam regulam servandam curavit. Miræ fuit abstinentiæ, integras sæpè noctes fundendis precibus insumpsit, quod Servi Dei studium maximis Deus miraculis illustravit, quibus ritè, & ordine

co-

cognitis, par esse censeo, ut infallibili Sanctitatis Vestræ decreto B. Petrus in Sanctorum numerum referatur.

Ioannes Laurentius Castilioneus Episcopus Anagniæ.

B. Petrus de Alcantarâ, præter cæteras virtutes gradu summo, sibi adjunctas, quibus Confessoris gloriam sibi comparavit, in afflictione corporis sui, jejunio, cilicio, vigiliis, ac asperrimis flagellis, usque adeò sibi mundum, seque mundo reddidit crucifixum, ut Sanctorum Martyrum quoque merita ei, quem tam longum constat duxisse martyrium, non deesse videantur. Tanti viri authenticam sanctitatem, non solùm Sancta Mater Theresia, eum sibi spiritûs magistrum eligens, ac mirâ de eodem à Deo sibi revelata, scriptum relinquens, abundè facit; verùm etiam ipsâmet innumera antè, & post obitum edita miracula sic benè confirmant, ut eundem B. Petrum Sanctorum numero, si Sanctitati Vestræ placeat, adscribendum censeam.

Sebastianus Surrentinus Episcopus Trojanus.

Sicut olim Ethnica Roma victorum tempora triumphali cingebat coronâ; ità nunc sacra Roma strenuos Christi milites in mundi militiâ victores, sacris decorat coronis. Cùm ergo B. Petrus de Alcantarâ legitimè certans, de tribus sævis hostibus triumphaverit; tot hominum millia cælesti Vrbi adjun-

junxerit, & jampridem ad Paradiſi portas civicâ ſit coronâ donatus; æquiſſimum eſt, ut etiam in terris Sanctitas Veſtra Chriſti Principis locumtenens eundem Petrum ſanctitatis coronâ redimitum fidelibus adorandum proponat.

Franciſcus Pallejus Epiſcopus Heliopolitanus.

Exclamante Chriſto Domino, Beatisſime Pater, arctam eſſe viam, quæ ducit ad Cælum, quam Beatum Petrum de Alcantarâ feliciter ingreſſum fuiſſe, feliciùs cucurriſſe, & felicisſimè tandem abſolviſſe teſtantur tum heroicæ, quibus effulſit, virtutes: ſumma præſertìm, eaque prorsùs admiranda vitæ auſteritas, quâ probè ſciens regnum Cælorum vim pati, crucis mortificationem jugiter in ſuo corpore portavit; tum crebra miracula, quibus eum in tantæ ſanctitatis confirmationem & vivum, & mortuum illuſtrare Deus voluit. Inde illum undequaque dignum cenſeo, qui à Beatitudine Veſtrâ in Sanctorum numerum referatur, ut hoc novo propoſito virtutum exemplo, nos eum imitari non pigeat, quem accedente Canonizatione, certò jam in Cælis regnare ſcientes, celebrare delectabit.

Franciſcus Cinus Epiſcopus Maceratæ, & Tolentini.

B.P.B. Petrũ de Alcantarâ, qui ut Chriſti Athleta præ cæteris virtutibus in pœnitentiæ arenâ, ſeu potiùs cinere, divini æſtuans amoris igne, benignum

ſeſe

seſe aliorum Ducem, ac ſui hoſtem acerrimum, ſalutis tamen amantem expoſuit, dum cinerem, tanquàm panem manducabat, & potum cum amaro alterius Petri fletu, & acutis vinctus catenis fletum cum ſanguine miſcebat; qui tandem hoſtibus invictus poſt tot vigilias in templo pacis quieſcens, & ad Divam Thereſiam glorioſus deſcendens, pœnitentiæ cruciatus magnifico illo elogio exaltavit: *O beata pœnitentia, quæ tantum meruit præmium.* Dignum cenſeo, ut ſacris admoveatur Aris.

Ioannes Baptiſta Spinula Epiſc. Lunenſis Sarzanenſis.

Ingentis perfectionis vir B. Petrus de Alcantarâ verè Deo plenus, & in omnibus viis ſuis mirabilis, quò propriâ abnegatione humilior, eò divinarum rerum contemplatione ſublimior, inter eximia, quibus de virtute in virtutem gradiendo, eminuit dona, adeò præclaros pœnitentiæ fructus protulit, ut meritò de eo dictum eſſe videatur: *Manus ejus diſtillaverunt myrrham.* Cùm igitur etiam probentur plura, ac mira tùm interceſſioni, tùm meritis ipſius adſcripta, nihil hæreo, quin Eccleſiæ univerſales ei decernantur honores, & ritè in Sanctorum album, ſi ità Sanctitati Veſtræ videbitur, referatur.

Iulius Caraciolus Epiſc. Melphienſis, & Rapollenſis.

Summam B. Petri de Alcantarâ pauperiem, ac mortificatam undique in terris vitam, divinis ho-

noribus locupletandam quis ambigat? Dignus planè, ut qui in terrâ degens Angelicos mores æmulatus est, post mortem in Cælo vivere declaretur, & qui mirabili austeritate corpus adeò cruciavit, ut visus sit non diù vivere, sed tardè mori. Quamobrem dignum censeo, ut Apostolicâ sanctione, Summique Christi Vicarii oraculo, Sanctorum albo adscribatur.

Emanuël Brancatius Episcopus Ariani.

Beatissime Pater. Tanquàm alterum Moysem prædicandum existimo B. Petrum de Alcantarâ, qui non virgæ percussione, sed precibus, nil in corde suo hæsitans è durissimâ silice erumpentes aquarum fontes extraxit, & denique feliciſſimam cæleſtis promissionis regionem ingressus, perenni fruitur divinæ visionis intuitu. Congruum igitur est, ut Sanctitas Vestra, ut prodigiorum virum fastis Sanctorum adscribat, quando alterum Moysem, ut testatur Ecclesiasticus, *humilem in medio Magnatorum Deus sedere fecit, & in accessu altaris Sancti gloriam ei dedit sanctitatis amictam.*

Franciscus Ravizza Episcopus Sydonien sis.

Seraphici fundatoris virtutes in B. Petro de Alcantarâ ejus Ordinis alumno, velut in purissimo speculo radio divinæ gratiæ transfusas miratur Orbis, ut meritò sacri parentis imaginem dignissimo re-

renovatam in filio contempletur. Præ cæteris tamen virtutibus ſpectabilis in eo refulſit humilitas, quâ & mundi contumelias, & adverſantium jurgia, non modò non deſpexit, ſed intrepidè, ac generosè ſuſtinuit. Quem igitur in abjecto, dum vixit, eximia conſtituit humilitas, quâ Franciſcanam obſervantiam trecentorum Cœnobiorum fundatione reſtituit; eundem jure merito dignum cenſeo, ut Pontificio Oraculo Sanctorum catalogo adſcribatur. Merces enim humilium hæc eſt, ut quò viliora ſubiere, eò glorioſiùs ad altiora ſublimentur.

Fr. Petrus Lanfranconius Epiſcopus Interamnenſis.

Hieruſalem beatæ honores ſacri Petro de Alcantarâ Hiſpano ſtrictioris Obſervantiæ Fratrum Minorum, vel ex divino Incarnatæ Sapientiæ oraculo ſunt decernendi. Is enim & docuit, & fecit, quę Chriſtus neceſſariò perſolvenda fore demonſtravit; ut quis in regno Cælorum vocetur magnus. Docuit, cùm in Deo charitate exardens, proficientes majoribus imbuit præceptionibus, torpentes exemplo excitavit, delinquentes increpationibus corrigere ſatêgit. Fecit verò, quia reliquit omnia, ut Deum ſequeretur. Beatiſſime Pater, qui Chriſti geris vicem in terris, æternæ gloriæ faſtos B. Petro dijudicare, ergò ne gravêris.

Beatisſime Pater. Ex tot tantisque egregiis approbationibus religioſæ, nedum chriſtianæ in excellenti gradu B. Petri de Alcantarâ virtutes cum prodigiis, & ſignis ſanctitatis clarè patent; ità ut affirmare liceat: *Deduxit eum Dominus per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei.* Iure merito igitur in Sanctorum catalogo à Veſtrâ Beatitudine reponi poſſe exiſtimo.

Cuſtodius de Pigno Epiſcopus Hyerapolitanus.

B. Petrum de Alcantarâ, Beatisſime Pater, admirabilem rigidisſimæ pœnitentiæ inſtauratorem inter Sanctos connumerandum cenſeo, tùm propter ejus eximias, multiplicesque virtutes, tùm illo præſertìm nomine, quòd non ſolùm orationi, verbique Dei prædicationi Apoſtolorum ſectator inſtabat aſſiduè; verùm etiam, quòd velut Chriſti Domini perfectisſimus imitator, egenis miniſtrare, ſuæque tenuisſimæ menſæ, quam poterat portionem, non ſine cæleſtis fractione panis (æmulandæ ſcilicèt hoc potisſimùm tempore in cathechizandis, alendisque mendicantibus charitatis exemplar) ſuis quotidiè pauperibus erogare conſueverat.

Onuphrius Hippolytus Epiſcopus Porphyrienſis.

Renovarunt Hiſpaniæ in Petro de Alcantarâ Thau-

Thaumaturgos. Non-ne vocabimus Thaumaturgum, cum vel ſignorum ejus teſtis fuerit, & laudatrix Thereſia? *Flumina fecit vias planas, ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* Aridiſſimus etiam ejus baculus terræ infixus virentem ſtatim crevit in arborem. Paludes non exſiccavit, ſed ſiccas arenas juſſit erumpere in fontes. Transferendi montes defuit occaſio, non virtus. Fulgeat igitur inter Sanctorum hierarchias B. Petrus tuo Sancti Spiritûs oraculo, Beatiſſime Pater, & qui Thaumaturgi prodigiis meruit eſſe conſors, ſit conſors & gloriæ.

Marcus Antonius Vincentinus Epiſc. Fulginatenſis.

Habemus, Beatiſſime Pater, Petrum de Alcantarâ, beatum illum virum, qui mirabilia faciens in vitâ ſuâ pœnitentium auſteritatem cum innocentium candôre, jejunium cum jugi contemplationis convivio, ſummam terrenarum rerum inopiam cum virtutum omnium divitiis conjunxit, demiſſione infrà homines poſitus, miraculis ſuprà homines evectus. Vnde cùm illi gloria apud Superos ſit æterna, par etiam eſt, ut vicariâ Numinis poteſtate, ſcilicet Tuâ, Sanctorum apud nos ſplendoribus inclareſcat.

Philippus Alferius Oſſorio Epiſcopus Fundanus.

B. Petrus de Alcantarâ, Beatiſſime Pater, ad inflammandum corda noſtra divini amoris igne, ut cru-

crucem jugiter feramus, & dignos pœnitentiæ fructus faciamus, vitæ aſperitates in S. Franciſco Patre ſui Ordinis mirabiles renovavit in ſuo corpore; Et obtinuit ille quidem regularis obſervantiæ frigeſcentis, quòd videretur humanæ fragilitati intolerabilis, renovationem multis in locis non ſolùm exemplo ſuo, quanquàm videri poſſit magis admirabile, quàm imitabile; ſed etiam, quod mirabiliùs eſt, inter difficultates ſibi à ſuis objectas, humanæ prudentiæ inſuperabiles, ut mirabiliter apparêret divina providentia, quæ *prava facit in directa*, & *aſpera in vias planas*, ut præterea adjunxerit ſe illi ad hoc opus mirabile divinâ Omnipotentiâ per miracula ſuprà omnem naturæ vim *benedictus Deus mirabilis in Sanctis ſuis*, quem titulum conſequuti ſunt per mirabilem rerum operationem. Meritò igitur B. Petrus audiet in Eccleſiâ Sanctus, in quo dignatus eſt Deus eſſe mirabilis.

Fr. Fulgentius Arminius Monforte ab Avellino, Epiſcopus Nuſcanus.

Qui glorificaverit me, glorificabo eum, eſt æternæ Veritatis oraculum, Beatiſſime Pater. Quod ſi Beatus Petrus de Alcantarâ in obſervantiâ ſtrictiori Fratrum Minorum, ſic inter homines vixit, ut Seraphicis ſpiritibus ſe perhiberet æqualem; & humanam gloriam fugiens, totum ſe gloriæ divinæ dicavit: Quodque Petro Apoſtolorum Principi olim dixerat Chriſtus, *Sequere me*, ità ſibi dictum putavit, ut à ſui Magiſtri veſtigiis, nunquàm vel levi

ſaltem

ſaltem greſſu deflexerit; & oculorum, & cordis intimam affinitatem eo commendabili divortio ſeparavit: ut illis ſemper terram, iſto ſemper Cælum exquireret. Dignus ſanè eſt, ut à Te, Beatiſſime Pater, gloriæ faſtus accipiat; & qui à Petri oculis lacrymas eruit, ut in ſuos ipſe transferret, à Petri Succeſſore, univerſalis Eccleſiæ plauſibus celebretur.

AVDITIS omnium ſuffragiis de B. PETRO, Sanctiſſimus hæc addidit.

DE B. Mariâ Magdalenâ de Pazzis Veſtras pariter ſententias audire cupimus. *SS. exquirit vota ſuper Canoniz. B. Mariæ Magdal.*

CONFESTIM omnes ordine à nobis ſuprà relato ſuas hoc modo ſententias tulerunt.

Franciſcus Epiſcopus Oſtienſis Card. Barberinus.

Beatiſſime Pater, Civitas Sancta Hieruſalem nova deſcendens de Cælo hodie ſplendidiſſimam nobis profert margaritam, B. Mariam Magdalenam de Pazzis, meritò B. Petro de Alcantarâ quaſi ſolido adamanti ſociandam; cùm ambo, licèt diſparis ſexûs, pari pœnitentiæ exemplo vixerint. Hæc in Carmelo diſponens aſcenſiones, eò uſque levavit ſe ſuper ſe, quoad exceſſu dilectionis, quæ mortis vim habet, altiùs quàm currus igneus Eliam rapuit, in cæleſtem videlicet Paradiſum eveheretur. Fortunata Nazareth vicino Carmelo. Fortunatâ prole *Vota Dominorum Card.*

hac

hac Etruria ; quæ illam non contenta terris partu dediſſe, aſſeruit etiam cælis ſuffragio unius è ſuis Vrbani VIII. aras concedentis, arasque unâ cum Monaſteriis excitantis : & iſtius nunc decôris per Sanctitatem Veſtram pariter ex ſe ortam, populis idipſum, & Principibus expetentibus, complementum ultimum expectat. Deſideriis publicis fas ſit privata me vota ſubjungere, quæ & Patrui, & Patriæ, & Sororia charitas, ſed & ardens antè omnia Veſtræ, Sanctisſime Pater, gloriæ ſtudium ſuggerit. Oro igitur, per Apoſtolicæ vocis oraculum, B. Mariam Magdalenam de Pazzis Virginem Nazarenam, latinè Florentinam, ſupremo declaratæ ſanctitatis diademate inſigniri.

Martius Epiſcopus Portuenſis Card. Ginettus.

B. Maria Magdalena de Pazzis noſtris ferè temporibus vixit in Monaſterio S. Mariæ Angelorum Civitatis Florentiæ; nec ulli ignotus eſt divinæ gratiæ incomparabilis theſaurus, quo imbuta, & locupletata vitam prorsùs Angelicam duxit. Mortalium enim conditionem tranſgreſſa, aut ſemper in Cælo fuit, aut Cælum cum illâ. Reliquum igitur eſt, ut quæ in ſupernâ Patriâ coronata triumphat, debitâ veneratione colatur in terris, Sanctarumque Virginum faſtis adſcripta, tanquàm veræ normæ virtutis, ac Chriſtianæ perfectionis abſolutiſſimum exemplar toti Eccleſiæ proponatur.

Fran-

B. Mariam Magdalenam, de cujus hodie Canonizatione agitur, Sanctiſſime Pater, unam de Virginibus ſapientibus dicerem, niſi hæc majori ex charitate permota oleum conſortibus omnibus affluentiùs præbuiſſet; hincque ſapientiorem meritò dicendam exiſtimarem. Et ne minor evangelico apparêret Samaritano, vinum ad perfectionem per olei infuſionem redactum, Monialium neceſſitati ſuccurrens adjecit. Multis inſuper, aliisque comprobatis miraculis, ſi Sanctitatis Veſtræ judicio infallibili id videbitur, (quod ritè fieri poſſe cenſerem) inter Cælites conſtitiſſe abſque errore dicemus.

Vldericus Epiſcopus Albanenſis Card. Carpineus.

B. Maria Magdalena de Pazzis viſa eſt prædeſtinata à Patre miſericordiarum, ut fieret conformis imaginis filii ſui; eundem ſiquidem Dei filium imitata æterni Patris voluntatem unicè in votis, unicè in actis habuit; ſitivit, & ipſa ſalutem animarum, ideòque mentis intuitu videns prævaricantes tabeſcebat, quòd eloquia Dei non cuſtodirent; deducebat quaſi torrentem lacrymas, quòd errantes ipſa quærere non poſſet, ac palmites abſciſſos viti reſtituere, ut in vite manentes facerent fructum bonum; & ut in pœnis ſimillima fieret Redemptori, cruciatus, quos ille pro mortalium redemptione paſſus eſt, interiùs in extaſim rapta, quantùm humana na-

tura ferre poterat, ſubſtinuit. Quoniam igitur conformis facta eſt imaginis filii Dei, & cum illo compaſſa eſt, & corregnare cum illo minimè dubitandum; ideòque ipſam inter Sanctarum Virginum numerum meritò adſcribendam exiſtimo, Beatiſſime Pater.

Iulius Epiſcopus Sabinenſis Card. Gabriellius.

Fœcunda heroicæ virtutis Italia B. Mariam Magdalenam de Pazzis in lucem edidit, Beatiſſime Pater, quæ Alcantarani ſenis horridam ſanctitatem æmularetur Florentina Virgo pœnitentiæ gloriâ, & charitatis. Cilicium geſtavit ſpinarum aculeis cannabinè inſutis, tenera membra lacerantibus, cùm ſæpè ſub algente Cælo nivibus cooperta Deum propitiare ſuis pœnis alienis culpis perſeveraret. Nam ſemel animæ damnatæ cruciatus contemplata, uſque adeò miſericordiâ in peccantes exarſit, ut pro iis ultrò ſe ſuppliciis acerbiſſimis devovêret. Voti ream ſtatim decubuiſſe ferunt, ac quinque integros annos in graviſſimis morbis egiſſe, nullâ recreatam ſtillâ cæleſtium conſolationum. Inferos in virginem immigraſſe diceres, niſi cùm doleret plurimùm, plus amaret. Quamobrem divinis honoribus conſecrandam cenſeo, ut univerſo Chriſtiano Orbi præluceat tam inſigne charitatis exemplum.

Vir-

Virginius tit. S.Laurentii in Lucinâ Presbyter Card. Vrſinus.

Duplici nexu cogor, Beatiſſime Pater, Canonizationem B. Mariæ Magdalenæ curare, nempe & obſequendo meritis ejuſdem, & ſequendo votum Cardinalis Alexandri Vrſini mei Patrui, qui anno MDCXXIV. primos proceſſus remiſſoriales per Sacrorum Rituum Congregationem expediendos curavit. Hinc igitur duos video deſcendere in arenam pugnantes, ut de partâ victoriâ coronam accipiant, nempe Petrum de Alcantarâ, & Magdalenam de Pazzis. Enitet enim in Viro ſumma humilitas, & in Muliere ſtrenua fortitudo; humilitas Petri ut granum ſynapis, quod eſt minimum omnium ſeminum, quò fuit demiſſior, eò celſiorem crevit in arborem, ut rami ejus uſque ad Cælum pervenerint. Mulier è contrà ſuperbiens in caſtigando corpore aſperrima experta pœnitentiæ, quæ majora videbantur, inconcuſsâ virtute ſuperavit. Mirandum igitur eſt præcellere in Viro ſummam humilitatem, in Muliere ſtrenuam fortitudinem; ſic meritò milites Chriſti in pugnâ contrà diabolum, & mundum victoriam reportarunt. Sequendo ergo verba Evangelii *non coronabitur, niſi qui legitimè certaverit*, reportatâ ab iſtis coronâ, hoc eſt, diademate ſanctitatis, meritò à Sanctitate Veſtrâ cæleſti Tiarâ honorandos, & in catalogo Sanctorum adſcribendos, humillimâ meâ ſententiâ cenſeo.

Cæsar tit. Sanctorum Quatuor Coronatorum Presbyter Card. Fachenettus.

Beatissime Pater, dum Petrus de Alcantarâ ingentis amnis impetum, atque tempestatem compescit, Maria Magdalena de Pazzis insignem de inani gloriâ reportat triumphum. Nam & suarum egregiarum virtutum, & divinæ gloriæ amplificandæ semper ità fuit studiosa, ut illi tunc illustrior videretur esse atque beatior, cùm ab omnibus vilior atque ineptior existimaretur. Quare in eâ sum sententiâ, ut à Sanctitate Vestrâ Christianæ Reipublicæ solatio his miseris præsertìm temporibus in Sanctorum cœtum referatur, quæ dum in terris vixit, mente tamen semper in Cælo morabatur.

Federicus tituli S. Petri ad Vincula Presbyter Card. Sfortia.

Ampliùs deliberandũ non videtur, Beatissime Pater, in Canonizatione B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, cujus heroicè florens virtus, ità cælesti corpus ejus imbuit aromate, ut id incorruptione quæsitâ *quasi cinnamomum, & balsamum aromatizans, & quasi myrrha electa* divinæ perennem dederit odorem suavitatis, quo vexata mulceatur, tristis exhilaretur, hilaris in Dei laudem exultet Ecclesia. Quare, si Sanctitati Vestræ placuerit, crederem eandem solemniter albo Cælitum adscribendam, atque cantandum in omni terrâ *canticum novum, quo laudetur Dominus in Sanctis suis.*

Be-

Benedictus tituli Sancti Honuphrii Presbyter Card. Odescalcus.

Duplicem edidit Magdalenam amor divinus, alteram Hierosolymis, Florentiæ alteram. Elêgit illam speculum pœnitentiæ; istam integritatis miraculum. Vtraque rigore vitæ conspicua, imbecillitatem sexûs vertit in prodigium fortitudinis; utraque cæleſtis Sponsi amantissima, præ ejusdem desiderio, divinâ quâdam insaniâ visa est delirare. Illa, ut dulciùs Sponsi colloquio frueretur, secessit in nemora; hæc, ut tutiùs, in patriam detulit solitudinem, in specus immigrante Monasterio, & cellulâ in conclave Divinitatis. Vnum deest, ut sicut illa Sanctorum fastis adscripta est, hæc eisdem Apostolicæ Sedis auctoritate pariter adscribatur.

Laurentius tit. Sanctorum Quirici, & Iulitæ Presbyter Card. Raggius.

Vox est, crebris multorum sermonibus usurpata, ad Regis exemplum fingi totum terrarum Orbem, gentesque ad sui moderatoris imaginem componi universas. Christianæ Reipublicæ eximiis virtutum documentis Sanctitas Vestra prælucet, quibus ad meliorem frugem, & perfectissimam vivendi normam satis superque excitatur. Sed ut ea, quæ divinum cultum, & spiritualem populorum salutem attingunt, Sanctitas Vestra dies noctesque meditari non desinit; ità nunc egregia nobis proponit ad imitandum exempla, id est virtutes omni commenda-

datione majores B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis. Quam profectò castissimam, atque innocentissimam Virginem, tot tantisque miraculis illustrem, Sanctorum fastis jure meritò adscribendam esse censeo.

Aloysius tit. S. Alexii Presbyter Card. Homodeus.

Aureo charitatis telo, hoc est, amore sancto saucia, arduum ad cælestia perêgit iter Maria Magdalena de Pazzis; illius videlicet æmula Magdalenæ, quam ubi Pater superni luminis respexit, amoris in illâ flãmas excitavit; cujus igneis subvecta pennis, in Cęlũ subinde ferebatur, terræ simul hospita, & mansionum cælestium inquilina. Flammis iisdem succensa Maria Magdalena de Pazzis evehi pariter non rarò visa est in sublime, facta Cæli propemodùm Civis, antequàm esse desineret incola terræ nostræ. Hoc tamen uno præstantior hæc est, quòd ardores amoris sancti virginitatis integerrimæ candoribus illustravit, divino nempe Sponso simillima, lilium simul & rosa, candida scilicet & rubicunda. Duplici propterea nomine sacris Virginum choreis annumeranda est Virgo laudatissima, quas etiam faciet niveis flammis suis illustriores; dum illam Sanctitas Vestra Sanctarum adjunctam choro, totâ simul plaudente mundi melioris universitate, declarat.

Pe-

Sanctitatis mensura divina charitas est, Beatissime Pater. Hinc illa olim peccatrix Maria Magdalena insigniter Sancta, quoniam dilexit multùm. Iam verò in alterâ hac ævi nostri Mariâ Magdalenâ is ardor inerat, is impetus ignis atque flammarum, *ut aquæ multæ non possent extinguere charitatem.* Siquidem gelidum sæpè fontem petere, manus, brachia frigidissimis mergi undis, affusâ item frigidissimâ pectori aquâ refrigerari oportebat: nudis etiam vestigiis, hyemante licèt Cœlo, incedere cogebatur. Quid pallor, deliquia, extasis? quid illa Sponsi munuscula, atque argumenta amoris, spinea corona, fasciculus myrrhæ, annulus pronubus? Igitur nihil hac Sponsâ Christi sanctius, quia nihil amantius. Reliquum est, ut solemni Canonizatione præstet universitati Ecclesiæ tantus amor, ac sanctitas ad incitamentum, ad præsidium, ad decus.

Laurentius tituli Sancti Chrysogoni Presbyter Card. Imperialis.

Quàm plura divinæ electionis signa fulgent in Mariâ Magdalenâ, nam post exhibitum castitatis, humilitatis, & obedientiæ mirabile specimen, meruit in oratione, & jejunio dæmonia ejicere, leprosos mundare, salutem ægris manu impositâ restituere: & non solùm intimos mortalium animi sensus, sed & arcana Cæli penetrare; unde non mirùm, si cupiebat dissolvi, & esse cum Christo. Iugo mortalis

lis ſervitutis exuto, eo liquore corpus fragravit, cui *verè benedixit Dominus*, nam *virtus ex illo exibat, & ſanabat infirmos*. Meritò igitur Mariam Magdalenam & Cæli potiri gaudiis, & ſanctitatis gloriâ inclytam fulgere credendum, & ſolemni Canonizatione firmandum.

Gibertus tituli Sanctorum Ioannis, & Pauli Presbyter Card. Borromeus.

In B. Mariâ Magdalenâ de Pazzis tot divinæ bonitatis munera tam præſenti numine enituere, ut niſi ſigna ſecuta fuiſſent, quibus Deus mirabiliter ſanctitatem Virginis decoravit, illam Cælo adſcitam abundè miris modis teſtarentur ſingularia ſummæ patientiæ, obedientiæ, & flagrantiſimæ divinæ charitatis experimenta; quibus intra religioſa clauſtra non ſolùm ab hominum conſociatione, ſed etiam ab humanâ contagione ſecreta innocentem, & planè cæleſtem vitam egit. Qui *facit mirabilia magna ſolus*, oſtendit B. Mariam Magdalenam inter Sanctorum choros egregiarum virtutum præmia conſecutam, & ab Eccleſiâ, Sanctitatis Veſtræ auctoritate, colendam.

Marcellus tituli S. Stephani in Monte Cælio Presbyter Card. Sancta-Crucius.

Profectò habebit magnum aliquid præter cæteros in illâ communi immortalitate B. Maria Magdalena de Pazzis, quæ *habet aliquid jam non carnis in carne*, (ſunt verba Divi Auguſtini de virginitate;)

non

non enim ſolâ puriſſimâ virginitate laudabilis, ſed omni heroicarum virtutum genere ità refulget, ut plùs ultrà humana conditio efferri vix posſit. Ejus converſatio fuit perpetua in Cælis, non hoſpes, non advena, ſed domeſtica Dei, non ſpiritu ſervitutis, ſed adoptionis filiorum obſtricta, ſe ſuprà ſe levavit adeò Sponſa Chriſti, ut Secretaria Divinitatis acceptisſima appellari posſit. Prodigium facta eſt multis, Angelis, & hominibus ſpectaculum, ſive in corpore, ſive extrà corpus vixerit, neſcio; quia nec domeſtici ejus id ſatis intellexerunt. Alebatur ſpiritu pluſquàm pane, & frequentiùs Angelorum pane, quàm cibis noſtris reficiebatur. Hinc proceſſit illa miraculoſa corporis incorruptio, & in ipſo cadavere odor ſuaviſſimus; quibus merita B. Mariæ Magdalenæ à Deo nobis maximè commendari, non eſt dubium; quia ſi omnis caro, quæ caro eſt, communi maledicto peccati, ſicut fœnum veteraſcit, & corrumpitur: dum caro B. Mariæ Magdalenæ ſui natura corruptibilis & mortalis, incorruptionem & immortalitatem induit poſt mortem, dicendum eſt, quòd caro iſta virginalis tabernaculum fuerit grandis animæ, quæ adeò prævalet in Cælo, ut potens ſit de tàm longinquâ regione corporis beati dotes efficaciter in exanimem carnem induere. Proſequatur ergò alacriter, Beatiſſime Pater, motum Spiritûs Sancti, quo ad promovendam gloriam B. Magdalenæ Sanctitas Veſtra excitatur, quia ſicut hoc ſancto negotio Eccleſiæ triumphanti gaudium, ità militanti præſidium novum, firmumque in præ-

sentibus calamitatibus Dei omnipotens bonitas, & providentia præparavit.

Ioannes Baptista tituli Sancti Marcelli Presbyter Card. Spada.

Beatissime Pater, B. Maria Magdalena, licèt Italico idiomate de Pazzis nuncupata, inter prudentes virgines est connumeranda. In toto enim suæ vitæ decursu prudentissima apparuit; In infantiâ, dum paratos sibi cibos pauperibus erogabat: in pueritiâ, dum vestes sericas, & alia muliebria ornamenta respuebat, dum orationi continuò vacabat, & dum decennis perpetuam vovit virginitatem; Inde majoris perfectionis viam aggrediens inter Moniales in virtutibus semper usque ad mortem progrediens, adveniente Sponso introivit cum eo ad nuptias. Hæc est enim *Virgo prudens, quam Dominus vigilantem invênit*. Censeo itaque per Sanctitatem Vestram posse legitimè decerni, quòd inter Sanctas veneranda sit.

Franciscus tituli Sanctæ Mariæ in Viâ Presbyter Card. Albicius.

B. P. Mariam Magdalenam habemus non peccatricem, sed virginem, non prædicante Christo pœnitentem, sed ferè ab ortu signa pœnitentiæ præbentem; non nardo pistico pedes Salvatoris ungentem, sed ex suo genu suavem liquorem manantem, & morbos depellentem; non ad Christi crucem lugentem, sed coronâ spineâ redimitam à Christo,

caput

caput Christi imitantem; In hoc uno consortes, quòd in extasim raptæ æterni Patris fruebantur aspectu, & divini amoris spiculo saucìatæ languebant. Cùm ergò Maria Magdalena peccàtrix, & pœnitens in Sanctarum numero adscripta reperiatur; jure merito Maria Magdalena de Pazzis Virgo, & Sponsa Christi in Sanctarum Virginum choro à Sanctitate Vestrâ collocanda est, hoc potissimùm tempore, quo immanissimus Turcarum Tyrannus sic pertinaciter in obsidione Cretę totis viribus persevêrat, pro quâ solvendâ, invocatis Principum suppetiis, & ære Ecclesiastico donato, nunc Sanctitas Vestra strenuè laborat, auxilia à Deo, & à Sanctis suis petenda sunt: *Nisi enim Dominus custodierit Civitatem, frustrà laborat, qui custodit eam.*

Carolus tit. S. Priscæ Presbyter Card. Pius.

Primordia B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis omnium virtutum excellentissima Charitas illustrat, Beatissime Pater, tùm in Deum orationis fervore, tùm misericordiæ operibus in proximum, quem non corporali modò, sed etiam spirituali pabulo suprà ætatis captum, ac sexûs qualitatem nutriebat. Cęterę verò virtutes in reliquâ ætate sic enituerunt, ut pro Fidei professione martyrium sæpiùs optaret, ac ad Symboli recitationem in ecstases raperetur. Spes adeò vigens, ut cùm intrà se non caperet, frequenter exclamans, & claustra percurrens audiretur; inquietum enim erat cor, & mens impatiens,

donec requieſceret in Domino. In vitâ denique ac poſt mortem, veteris ac novi Teſtamenti celebriora miracula renovans, debiles confortavit, infirmos ſanavit, à dæmone obſeſſos liberavit: ex ejus corpore fragrantisſimus odor exhalans, liquor emanans, oleum in vaſis Monaſterii ſæpiùs multiplicatum, teſtimonia illa ſunt, quæ Eccleſiæ tradidit Deus, ut ſuum de illâ in Sanctarum Virginum numero deſcribendâ voluntatem aperiret; Abſequendum itaque, Beatisſime Pater, & ejus imploranda in præſentibus neceſsitatibus interceſsio, ac ſingulare; quod ſperandum eſt, Catholici Poloniæ Regni præſidium.

Carolus tit. S. Euſebii Presbyter Card. Gualterius.

Quam ex iſto adoratæ ſolio majeſtatis univerſitatem luſtras, Beatisſime Pater, totam propagatâ longè latèque rerum cum virtute geſtarum famâ, & inſolitâ miraculorum gloriâ plenisſimam vides, quibus eandem Maria Magdalena de Pazzis laudabiliter implevit. Hæc enim illa Virgo ſapiens eſt, quam Dominus in obedientiâ, & oratione vigilantem ſemper invênit, quæque prudens eidem Sponſo ſuo cum lampadibus divini amoris, quo incenſa æſtuabat, oleo multiplicato lucidioribus adeò ſanctitatis gloriâ, ſuavitatis odore, ac multiplici cæterorum miraculorum varietate ubique fulgens inclyta, obviam exivit, ut hinc argumenta videantur exiſtere certisſima inhabitantis in illâ divinæ gratiæ,

quæ

quæ Sanctos facit, inseritque Cælo mortales, hincque illa abundè suppetant suffragia, quæ suadere efficaciter possunt, illam Virgini integerrimæ decernendam appellationem, quâ, exutâ mortalitate, gaudent animæ cum Christo regnantes in beatâ regione vivorum.

Flavius tituli Sanctæ Mariæ de Populo Presbyter Card. Chisius.

Florem dedit Florentia, Beatissime Pater, ac æternus ille amor, qui pascitur inter lilia, floris hujus fragrantiâ perfusus descendit in hortum, & libavit delicias in odore suavitatis. Flos hic est Maria Magdalena de Pazzis, quæ sanctitatem undique redolens, ac virtutum omnium splendore refulgens totam illustravit Etruriam. Pudicitiæ candôrem, votivâ oblatione cælesti Sponso dicávit, ac divini amoris adeò exarsit ardore, ut flammam, quam gestabat in corde, non rarò oculis, ac vultu, impetuque æstuanti propalaret. Supereſt itaque, ut Sanctitas Vestra votis annuat fidelium, sacros illi decernens honores, ut mirabilia, quæ operatus est Deus, præsentibus innotescant, transmittantur in posteros, æternitati consecrentur.

Scipio tit. S. Sabinæ Presbyter Card. Ilcius.

Beatissime Pater. Innocentiæ typum, ac pœnitentię in B. Mariâ Magdalenâ de Pazzis agnoscunt, & mirantur omnes, qui vitam ipsius Angelicam, & gesta

gesta majora homine reputant, ac perpendunt. Nullâ unquàm admissâ culpâ, pœnis semper ultrò susceptis, virtutem cœpit nosse cum vitâ: seculum fûgit antequàm nosset. *Mori cupiens, & esse cum Christo*, perpetuò vixit confixa cruci cum Christo. Ex quo forti ligno, signoque victoriæ cum movente arma hoste tartareo congredienti fortiter, ac vincenti Sponsus gloriæ, qui pascitur inter lilia, dulcissimæ contemplationis manna dedit absconditum. Eamque palmis, & coronis onustam in cælestem Hierusalem sustulit, ut cum triumphanti Ecclesiâ canticum laudis concinat triũphale. Aequum itaque est, à Sanctitate Vestrâ triumphum illi in Ecclesiâ etiam militante decerni, quam ipsa tot virtutum exemplis, tantâ miraculorum gloriâ, illustravit.

Petrus tit. S. Calixti Presbyter Card. Vidonus.

Beatissime Pater, Magdalena de Pazzis, futura seculis virginitatis exemplar, in Vrbe florum, velut in horto lilium nata: mox securiori Monasterii septo concluſa, virtutum omnium inde sparsit suavitatem. Ne quidquàm, prædaturus germen tàm nobile, tartareus hostis adlaboravit; nam latrocinanti pœnitentiæ sepem objecit, & spiras serpentis antiqui trajecit spinis, inter quas ingeniosè crudelis nudum corpus obvolvit. Sic integritatis florem, quem sanguinis, & lacrymarum humore fortissima Virgo educaverat, amatissimo Sponso Deo ad extremum usq; spiritum reddidit illibatum. Quapropter con-

congruum arbitror, Beatisſime Pater, ut Magdalenam, quæ in terris vitam cæleſtem duxit, charitate, miraculis, ac pudore clariſſimam, inter Sanctorum conſortia Cæli triumphantis præconio jampridem adſcriptam, militantis Eccleſiæ plauſibus, cultuque Sanctis debito, proſequamur.

Carolus tit. S. Anaſtaſiæ Presbyter Card. Bonellus.

Comperta abundè eſt, Beatisſime Pater, B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis ſanctitas. Penè à cunis illam ſibi delêgit Chriſtus Sponſus, adamavitque non oris elegantiam, ac formam, ſed quæ efflorescere ſtatim cœpit, pietatis indolem. Decimo ætatis anno virginitatem vovit. Hæ fuêre caſtæ virginis cum Chriſto nuptiæ. Attulit ipſa dotales virtutum opes Sponſo: miſit vicisſim illi Sponſus ſua munera, ſpineam coronam, faſciculum myrrhæ, Sponſæ annulum. Thalamus Crux fuit, in quâ mori illa cum Sponſo, & pro Sponſo peroptabat. Hinc ignis ille medullas ità adurens, ut mergi frigidisſimis interdùm undis oporteret: hinc ab amoris impetu dilaceratæ ſæpè veſtes: hinc excurſus illi per clauſtra domûs lymphatæ in morem. Quòd ſi connubiis non modò animi innectuntur, ſed nomina etiam miſcentur, & tituli; decet Virginem hanc vocari Sanctam, nuptam videlicet Sponſo, qui Sanctus eſt, de quo dicitur: *Quod Sanctus vocabitur.* Et quidem ut olim cæleſtis illa Sponſa vocata è Libano eſt ad coronam: *Veni de Libano coronaberis*: ità par eſt,

hanc

hanc etiam ſuo è Carmelo evocari,ut publico mortalium cultu coronetur.

Cœlius tituli S. Petri in Monte Aureo Presbyter Card. Piccolomineus.

Beatisſime Pater, B. Maria Magdalena de Pazzis,cui in ſacro baptiſmi lavacro Catharinæ nomen inditum, in Religionis ingreſſu hoc Mariæ Magdalenæ ſibi aſſumpſit; ab ipsâ appellatione Catharinæ Senenſis puriſimæ Virginis, & Mariæ Magdalenæ fortisſimæ pœnitentis virtutes auſpicata: Catharinæ innocentiam, dum illibatum animi candorem nequidem levi fœdæ cogitationis nebulâ offuſcatum unquàm ſenſit; Illa roſeam coronam cælitùs oblatam repudians, ſpineam elêgit: hæc è ſpinis contexto caput diademate coronavit;Si charitate in proximum exardeſcens Catharina purulento ulceri os virgineum admovens, repentè ſanavit: hæc puriſſimis labiis ſcabiem exoſculans, dum renitente naturâ putredinem hauſit, eâdem obſtupeſcente ſanitatem reſtituit. Nec Magdalenæ gemitus deſunt; quibus non ſuas,ſed alienas ſcelerum ſordes abluit, & non quatriduanum fratrem Lazarum revocavit ad vitam ſuarum contemplatione lacrymarum: ſed complures in lethali tumulo peccatorum jacentes exuſcitavit ad gratiam. Vtraque tamen dilexit multùm; alteri titulo charitatis remittuntur peccata: alteri, quia innocens, merita cumulantur; Quàm aptè ubere reddidit opere, quod utroque promiſit nomine. Sanctorum igitur albo adſcribendam cenſeo,

seo, ut Sanctitatis Vestræ oraculo in unâ Virgine contractæ, connexæque virtutes, & Catharinæ innocentis, & Magdalenæ pœnitentis innotescant, & adorentur.

Palutius tit. Sanctorum Apostolorum Presbyter Card. Palutius Albertonius.

Redeuntis ad cor Mariæ Magdalenæ lacrymas æmulata pariter est Virgo innocens B. Maria Magdalena de Pazzis, non doloris jaculo expressas, sed vulnere charitatis. Eò felicior, quòd non cecidit ad misericordiæ pedes, tanquàm à fœdioribus vitæ maculis abluenda; sed ab alienato passìm à sensibus animo ad divini oris osculum Sponso invitante pervênit. Eò admirabilior, quòd minora dimittentem Dominum non minùs ipsa dilexit; nec abundante delicto, superabundavit & gratiâ. Hanc itaque nunc etiam ex ore Vestræ Sanctitatis veritas ipsa decernat in memoriâ Sanctorum universo mundo prædicari.

Cæsar tit. S. Ioannis ante Portam-latinam Presbyter Card. Rasponus.

Magni interest cùm Dei gloriæ, tùm hominum salutis, Beatissime Pater, translatos ad cælestem patriam mortales esse quàm plurimos, de quorum perpetuâ felicitate certum nobis, exploratumque sit; majore namque alacritate, & fiduciâ certiore, in stadio currimus, in quo plures partas victorias, & palmas relatas videmus. Eòque magis, si horum me-

moria in benedictione sit, & altaribus, & votis, & propitiationibus honoretur; minùs enim piget imitari, ut scitum est, quod celebrare delectat. Ne verò Sanctitas unicum prisci seculi decus videatur, sed nostra etiam ætas hac laude gloriari meritò possit, magni ad Ecclesiæ profectum momenti esse puto, si quemadmodùm tela ad ferienda corpora, sic exempla Sanctorum ad sanandos animos adhibeantur. Hæc autem ipsa multò adhuc efficaciora fiunt, cùm à sexu imbecilliore produntur, cùm solemne divinæ providentiæ sit, infirma hujus mundi eligere, ut fortia quæque non modò confundat, sed etiam roboret, & ad præclara facinora excitet, & impellat. Hæ omnes, Beatissime Pater, satis magnæ, satisque graves causæ mihi videntur, quamobrem expeditis jam omnibus, quæ ad causæ cognitionem præmittenda erant, dubitandum Sanctitati Vestræ nullo modo censeam, quin B. Mariam Magdalenam de Pazzis solemni appellatione sanctitatis, & cultu Sanctis Virginibus debito honorandum pronunciet, fidelibusque universis vitam ejus imitandam, & partam illi ingentibus meritis apud Deum gratiam per vota, & supplicationes ritè implorandam proponat.

Iacobus tituli Sanctæ Mariæ de Pace Presbyter Card. Ninius.

Non procul neque de ultimis finibus, Beatissime Pater, inventa est Virgo fortis B. Maria Magdalena de Pazzis, quæ toto vitæ cursu, divino afflante spiritu, agere, & pati fortia meditata est. Data in præ-

sidium

ſidium Eccleſiæ militantis, ut validiori eſſet adjumento à primis annis ſe generosè accinxit ad certamina. Manus ab infantiæ vinculis vindicatas, charitate impellente, extendit ad pauperem, & aperiens os ſuum Sapientiæ, ſeveriſſimâ proſcriptione abdicavit à ſe omnes mundi illecebras, & mollia indumenta, ſciens ſpoliis non indigere indutam fortitudine. Animo ſemper ad patiendum expoſito experta eſt jejunia, vigilias, cilicia, pedum nuditatem, voluntariam paupertatem, ſui abjectionem, & profundam humilitatem. Virgo verè vigilans, & una de numero prudentum, cujus lucernam nunquàm extinctam cenſeo collocandam ſuper candelabro, ut luceat coràm hominibus, & in cordibus eorum charitatis lumen accendat.

Vitalianus tit. S. Agnetis Presb. Card. Vicecomes.

Florentia tunc verè floruit, quando hunc edidit virtutum candidiſſimum florem B. Mariam Magdalenam, quæ tota Deo, tota Cælo, quamvis ſata in mundo, opere, conſilio, ſermone, ac ſignis ſalutarem undequaque effundebat odorem; illius candorem non fœdavit impuritatis virus, virebat quidem inter charitatis flammas, & creſcebat inter inexhauſtum divini amoris fontem. Veneremur igitur, Beatiſſime Pater, hunc florem in Sanctorum viridario, Sanctitatis Veſtræ ſingulari, ac pervigili in eum pietate, Sanctorum cœtui adſcriptum, ut æternâ perfruens in cælis gloriâ, perenne in terris quoque percipiat à fidelibus obſequium.

Iacobus tit. S. Sixti Presbyter Card. Rospiglioſius.

Beatiſſime Pater, B. Mariam Magdalenam niveus candor Virginitatis, ignea in Deum charitas, abſtinentia propè inaudita, aliæque heroicæ virtutes Virginem ſapientem penitùs probavêre. Quod & ſignis, antè & poſt ejus obitum, Beatæ ſanctitatem cælitùs confirmantibus, præclariſſimè innotuit. Plùs ſanè cum dilecto poterit, quæ plùs dilexit. Ac proindè, ſi à Sanctitate Veſtrâ aris admoveatur, & Eccleſiæ univerſæ divinæ miſerationis fontes aperiet; & quòd humanæ imbecillitati magis congruit, ad imitationis incitamentum præbebit nobis mulier fortis exempla virtutis, quæ in infirmitate perficitur. Hoc petit à Sanctitate Veſtrâ decus Etruria, hoc Carmelitarum familia ornamentum, hoc Virginis Deo dicatæ ſolatium, hoc denique in arduis quoque neceſſitatibus res Chriſtiana præſidium.

Franciſcus Sanctæ Mariæ in Viâ-latâ Diaconus Card. Maidalchinus.

In B. Mariâ Magdalenâ de Pazzis ea ſemper fuit vitæ admirabilitas, & virtutis præſtantia, ut æquiſſimâ lance ponderata Sanctorum cultu digna cenſeatur. Quare meum ego ſuffragium libentiſſimè appono, quò efficaciùs ad virtutem homines excitentur, & Eccleſia Dei pluribus luminibus augeatur, hoc præſertìm tempore, quo ope divinâ plurimùm indigemus, ut proindè novâ Sanctorum interceſſione Chriſtiana Reſpublica frui poſſit.

Fri-

B. Virginem Mariam Magdalenam de Pazzis Libani gloriam, & Carmeli decôrem, ut in cœtum Sanctarum Virginum referatur, meo quoque calculo dignissimam censeo, Beatissime Pater. Siquidem *hæc est Virgo sapiens, & una de numero prudentum*, quæ stultitiam, quam videbatur præferre nomine, sapientiam fuisse apud Deum ostendit: & lampade divini amoris oleo accensâ occurrens Sponso, & Sponsæ intravit cum eo ad nuptias. Quinimò, & ipsa est Sponsa, quæ à Sponso Christo annulo subarrhata, & ad exemplum Sponsi coronâ spinarum redimita *accepit coronam gloriæ, quam illi Dominus præparavit in æternum*. Age igitur, Beatissime Pater, ut quam vocavimus Beatam, invocemus Sanctam.

Carolus S. Cæsarii Diaconus Card. Carolus Barberinus.

Non minùs sapienter, quàm justè novum istud Carmeli germen in agrum militantis Ecclesiæ, Te jubente, producitur, Beatissime Pater, Beata inquam Maria Magdalena fertilis illius propago, quæ communi cum S. Theresiâ genita parente, ejusdem verticis gloria, suavissimo illum odore virtutum pariter replevit, & suâ sobole fœcundavit. Sacris itaque honoribus jungatur B. Petro Theresiæ observantissimo, æmula Theresiæ, quam abstinentia summa, asperitas sæviissima, jugis corporis afflictatio adeò illi similem reddidere, ut ne singula texam,

ambo

ambo ſolo pane, & aquâ in annos plurimos victitarint; ambo innocentes victimæ pro ſeculi noxis ſeſe acerrimè cruentarint; ambo nudis pedibus, vel glacie rigente, graderentur. Tàm ardens inſuper Dei amor eos fecit æquales, ut miris raptibus ambos conſimili planè munere divina gratia dignaretur; ſed quò hæc clariùs erumpebant, eò illi altiùs occultabant; utque cætera divinitùs utrique collata decora ſileam, eximium certè fuit inclyta utriuſque proles. Etenim ſi matris gloria ſapientiſſimæ filiæ, qualis hujus fuerit? cujus alumnæ tantâ virtutum ſegete floruêre, ac efflorescunt in dies, ut duplici nomine, & oculatus, & propinquus teſtis eſſe poſſim. Hæc igitur pretioſa margarita non procul, nec de ultimis finibus; ſed è propinquo advecta, & ipſa Eccleſiæ theſauro inferatur, Beatiſſime Pater, ſicque ſocios veneremur in Aris, quos conſimili præmio muneratos experimur in Cælis; indèque fideles omnes, maximè Cœnobitæ, & Sanctimoniales habeant, quod perpetuò intueantur, habeant, quod ſedulò imitentur.

Decius S. Euſtachii Diaconus Card. Azzolinus.

Beatiſſime Pater, B. Maria Magdalena, cujus vita in Spiritu-Sancto, & igne divini amoris incendium fuit, verè optimam partem elêgit, quando non pedibus ſed cordi Domini tota adhærens hauſit flammas in gaudio de fontibus Salvatoris, omnia ſperans, omnia ſubſtinens, omnia vincens. Innixa ſu-

per

per dilectum ſuum, ſuprà ſexum, ſuprà ſenſum, ſuprà humanitatem elata ſenſit, quàm ſuavis eſt Dominus: tenuit eum, nec dimiſit, donec dilectio fortis, ut mors, revelavit amanti faciem dilecti ſui in meridie æterni amoris deliciis affluentem. Quò igitur divinæ juſtitiæ jacula avertantur à nobis, nihil ſanè opportunius cenſeo, quàm in aris exaltatam objicere Angelo percutienti Columbam Deo dilectam, pacis miniſtram, quæ os ſuum aperuit ſapientiæ, & lex clementiæ in linguâ ejus: Hoſtibus verò mulierem fortem, quæ ſtat in virtute Dei, ſicut turris David ædificata cum propugnaculis: Mille clypei pendent ex eâ omnis armatura fortium, quibus in nos Dei miſerentis benignitas, & in hoſtes noſtros gladius devorans convertatur.

Franciſcus Maria SS. Viti, & Modeſti Diaconus Card. Mancinus.

Petrum de Alcantarâ jure ſequitur, Beatiſſime Pater, altera Thereſia, paribus referta virtutibus, nova Carmeli gloria, Beata inquam Maria Magdalena de Pazzis. Debebatur profectò huic Virgini in ipſomet ortu auſpicatiſſimum Catharinæ nomen, cùm eam cæleſtis Sponſus duarum inſtar Alexandrinæ, & Senenſis eſſet annulo pariter ſubarrhaturus, debebatur in ingreſſu Monaſterii & Marię Magdalenæ nomen, quia divino amore ſaucia dilexit multùm, & ſupernis intenta contemplationibus ſæpiſſimè in extaſim rapiebatur. Quid loquar de heroicis ejus virtutibus! quid de miraculis, cùm

tota

tota ipsius vita nihil aliud, quàm miraculum fuerit! imò & mors detestantis in feretro positæ, prodigiosè conversâ dextrorsùm facie, impuros à sinistris astantis adolescentis mores. Vnum supereſt, Beatisſime Pater, ut cùm recenter Roſam Peruanam Beatorum hortis inſerueris, lilium Florentinum Sanctorum quoque viridario inferas; ut Romanæ Eccleſiæ Sponſus, qui candidus eſt, & rubicundus, roſis ſimul, & liliis Tuâ manu coronetur.

Angelus Sancti Angeli in Foro Piſcium Diaconus Card. Celſus.

Maria Magdalena de Pazzis non quidem mulier in civitate peccatrix, ſed Virgo in Sanctimonialium domo cum Deo amantisſimè, & conjunctisſimè vixit, tranquillo ſedens animo ſecùs pedes Domini, & ipſius ex ore excipiens verba, & cuſtodiens. Quamobrem Chriſti oraculo Beata meritò dicenda eſt, quæ audiit verbum Dei, & cuſtodivit illud. Aequum porrò videtur, Beatisſime Pater, ut judicium Chriſti Eccleſia judicio ſuo conſequatur, & poſt tot præclarà miracula, totque eximiarum virtutum exempla, illi per Chriſti Vicarium Sanctorum honores decernantur.

Paulus Sancti Georgii Diaconus Card. Sabellus.

Inæſtimabiles virtutum margaritæ virgineam B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis animam ab ipsâ infantiâ ornavêre. Inter omnes enituit ſingularis in

Deum

Deum charitas, quâ vivebat ipsa jam non ipsa, vivebat verò in ipsâ Christus: Eximio hoc Sponsi amore perpetuâ velut extasi extrà se rapta Magdalenæ anima in Cælo magis habitabat, ubi amabat, quàm in corpore, ubi animabat: charitatem reliquæ virtutes comitatæ sunt, ancillæ reginam: virtutes maxima miracula consecuta fuêre, quibus vivens,& post mortem coruscavit. Tam illustrem fœminam digniſſimam censeo, quæ in album Sanctarum Virginum referatur, Catharinæ Senensi non dissimillimam. Habeat igitur per Te, Beatissime Pater, Civitas florum virgineum florem hunc è Cælo novum.

Sigismundus S. Mariæ in Domnicâ Diaconus Card. Chisius.

Rationi congruit, Beatisime Pater, ut B. Maria Magdalena de Pazzis publicam venerationem, ac totius fidelis Orbis cultum obtineat, nam & summæ abstinentiæ rigor, & divini amoris præstantia, vitæ, morumque admirabilis sanctitas dignam meritò eam reddiderunt, ut *particeps fieret Dominicæ passionis*; undè *certa, atque secura redditur expectatio promissæ beatitudinis*, præsertim in Virginibus, *quæ sequuntur Agnum quocumque jerit*.

Stephanus Vgolinus Patriarcha Constantinopolitanus, Assistens.

Beatisime Pater. Evangelica olim in civitate peccatrix S. Maria Magdalena, quòd peccatorum *Vota Dominorum Prælat.*

pœnituerit, & lacrymis pedes Domini ſemel rigaſſet, illius ore promeruit Sanctam pronunciari. Quis igitur hæſitet Sanctorum albo adſcribi poſſe Beatam Mariam Magdalenam de Pazzis, quæ culpas timens, quibus carebat, quamvis labe nullâ candorem virginalis pudicitiæ denigraſſet, flevit tamen, ac ſi graviſſimis culpis obnoxiam duxiſſet vitam, & Crucifixi imaginem non ſemel, ſed aſſiduis penè lacrymis deterſit.

Iacobus Altovitus Patriarcha Antiochenus, Aſſiſtens.

Perſpectis iis, quæ de B. Mariâ Magdalenâ de Pazzis, præclaris virtutibus, miraculisque, quibus mirificavit eam Dominus, Sacrorum Rituum Congregationis monumenta teſtantur; glorioſum Deo futurum exiſtimo, ac Chriſtianæ Reipublicæ fructuoſum, ut huic eximiæ ſanctitatis Virgini cæleſtes honores à Sanctitate Veſtrâ decernantur.

Camillus de Maximis Patriarcha Hieroſolymitanus, Aſſiſtens.

Beatiſſime Pater. Apoſtolici temporis charitatem ab hoc ſeculo alienam non eſſe B. Maria Magdalena de Pazzis exemplo ſuo oſtendit, quæ alteram Magdalenam Chriſti diſcipulam, & amantem, ut nomine, ità & virtute expreſſit. Illa Chriſto viventi familiaris fuit, hęc glorioſo. Illa neglectis Marthę negotiis optimam partem elêgit; hæc domeſtica negotia otio nectens cõtemplationis, etiam dum

acu

acu pingeret extrà ſenſus poſita, opus abſolutiſſimè peragebat. Illa ab Angelis ſepties in die ferebatur in Cælum, hæc ſæpiùs per plures dies in ecſtaſim rapta, Cæli deliciis fruebatur. Vtraque verò ab omni materiæ concretione ſoluta, ſibi & mundo mortua vixit; ſed unum eſt, in quo typus prototypon vicit, quòd illa aliquando peccatrix, hæc ſemper innocens fuit. Nunc autem uni Archetypo adhærentes unum ſunt, niſi quòd hæc aliquid minus ab illâ habere dignoſcitur; idque nemo ipſi conferre poteſt, niſi Sanctitas Tua, Beatiſſime Pater, ut nimirùm Sanctarum Virginum faſtis adſcripta publicæ veneratione, & imitationi exponatur.

Aegidius Columna Archiep. Amaſienſis, Aſſiſtens.

Etſi plurima ſunt, quæ ſuadere poſſunt, Beatiſſime Pater, ut B. Mariam Magdalenam de Pazzis Sanctarum Virginum numero adſcribas; tamen illa mihi ratio nunc ſuccurrit proponenda, ut videlicèt in Eccleſiâ quemadmodùm habemus Mariam Magdalenam exemplar pœnitentiæ, ità habeamus alteram Mariam Magdalenam exemplar innocentiæ.

Franciſcus Caëtanus Archiep. Rhodienſis, Aſſiſtens.

B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis vita, ſi vel ab ipſis incunabulis inſpiciatur, tota miraculum eſt, Beatiſſime Pater. Nihil in illâ niſi ſanctum, niſi

pium, nisi divinum, nisi mirabile. Innocentia nunquàm amissa: virginitas semper illibata: charitas in Deum quotidiè intensior: amor in proximos ubique exæstuans: odium sui perpetuum: humilitas profunda: contemplatio sublimis: conversatio plerùmque in Cælo: revelationes, visiones, ecstases, raptus, transitus denique assidui in statum planè Deificum. Ad hoc ergò juge miraculum, cùm alia complura tàm antè mortem, quàm post mortem miracula antecesserint, de quibus utrùm ex Deo fuerint, nec-nè? jam dubitare sine temeritate non possumus; censeo, Sanctissime Pater, deveniri posse, quandocumque Sanctitati Vestræ placuerit, ad ejusdem Beatæ solemnem Canonizationem.

Franciscus Nerlius Archiep. Florentinus, Assistens.

Quòd arbori cognoscendæ certissimum argumentum à fructibus duci, Veritas ipsa pronunciaverit; de fructibus, & operibus B. Mariæ Magdalenæ reticêre non possum, rem famâ multis fortè non ignotam, sed experientiâ mihi peculiariter, seriòque compertam. Viget post annum sexagesimum in antiquæ sanè laudis Monasterio, sed optimis ipsius institutionibus, exemplis, jugique consuetudini longè diligentiùs exculto, disciplina, & sanctitas ejus tàm viva, tàm incorrupta, tàm recens, ut illud nulli prorsus alteri Sanctimonialium, vel religiosissimo cœtui concedere profectò crediderim. Cæterùm B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis

olim

olim Florentiæ, nunc Empyrei nobili Civi, ſi placuerit Sanctitati Veſtræ, Sanctorum honores decernendos eſſe planè ſentîrem.

F. Thomas de Sarriâ Archiep. Tarentinus, Aſſiſtens.

Confluxerunt in hanc Virginem ſumma illa, quę ſingulariter admiramur in Sanctiſsimâ Deiparâ, flos puritatis nullo unquàm vel primo impuritatis motu afflatus, humilitas infrà omnem creaturam abyſſata, lumen altiſsimæ contemplationis à primo infantiæ ſuæ diluculo nunquàm eclypſatum, tormentorum Chriſti patientis familiariſsima participatio, denique ingens ſub Cruce deſolatio. Proindè Sanctarum Virginum albo intrepidè adſcribendam puto Viraginem, cui talia cum Divâ Virgine tàm ſingulariter fuerunt communia.

Stephanus Brancatius Archiepiſcopus Adrianopolitanus, Aſſiſtens.

In eximiâ virtutum lance Mariæ Magdalenæ de Pazzis eò deventum eſt, Beatiſsime Pater, ut evidenti miraculorum atteſtatione nullum omninò reliquerit locum ambigendi prudenter, an & degens olim in terrâ fideliter obſequium præſtiterit Deo, & nunc poſt obitum cum Deo feliciter regnet in Cælo. Quare illi à Sanctitate Veſtrâ (cui ſoli datum eſt etiam de Cælitibus ferre ſententiam) ſentio unâ cùm publico cultu decernenda eſſe Regni cæleſtis inſignia. Suprà candelabrum luceat iſta lu-

lucerna ardens divini amoris igne, quam per revelationes, contemplationes, raptus, prophetias, aliaque mirabilium virtutum dona, veluti flammas lucidisſimas Spiritus-Sanctus voluit illuſtrem.

Iacobus de Angelis Archiepiſcopus Vrbin. Aſſiſtens.

Sanctitatis titulus ſoli divinitati congruens, Chriſti Domini amore communicatus humanitati, meritò debetur B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis; ipſa etenim, Divo Auguſtino ſtipulante, ſpirituale cum Chriſto matrimonium contraxit, dum ineffabili divinitatis cum humanitate conjugium, videlicèt *Verbum caro factum eſt*, idem Auguſtinus in ipſo Mariæ Magdalenæ corde ſanguineis, & aureis ſcripſit characteribus; poſtmodùm ſacroſanctum hujuſmodi matrimonium Chriſtus ipſe ratum habuit, dum Mariam Magdalenam cæleſti annulo ſubarrhatam nuptiali diademate Crucis, id eſt, ſpineâ coronâ redimivit. Cùm igitur Sponſa Viri ſui radiis coruſcare debeat ornata, jure optimo B. Maria Magdalena à Beatitudinis Veſtræ ſanctisſimis manibus, quæ ſolæ dignè coronant in terris, debitam ſanctitatis expoſcit *coronam, quam ei Dominus præparavit in æternum*.

Federicus Vbaldus Archiepiſc. Cæſareæ, Aſſiſtens.

Aequum planè cenſeo, & ædificationi Eccleſiæ opportunum, B. Mariam Magdalenam de Pazzis

in

in Sanctorum numerum Sanctitatis Veſtræ oraculo cooptari, cùm per omnes cucurrerit heroicarum virtutum gradus, quibus itur ad Cælites. Eximiam ejus vitæ ſanctitatem complura, eaque magna miracula comprobarunt. Reſtat nunc, ut Sanctitas Veſtra ejus exemplum proponat fidelibus imitandum, ex quo diſcant *Iugum Domini ſuave*.

Franciſcus Maria Phœbeus Archiepiſcopus Tarſenſis, Aſſiſtens.

Beatiſſime Pater. Angelicæ puritatis B. Mariæ Magdalenæ idoneum ſanè, ac ſolidum argumentum exiſtimo, quòd corpus illius elatum impuri adoleſcentis præſentiam perferre nequiverit: ac ſi jam tunc diuturnâ candidiſſimæ animæ conſuetudine edoctum, vel quaſi in illo virginitatis lilium refloreſcens ac vegetans, animæ munus expleret, ſibi adhùc exanime, ad fugam illecebrarum reſumpto ſpiritu reviviſceret. Itaque meritò inſigne illud incorruptibilitatis, ac fragrantiæ privilegium obtinuit, quòd ſe à carnis contagione, tùm nuda caro, prębere ſcivit immune; Et quę *Chriſti bonus odor in omni loco* etiam ſepulchrali, immarceſcibili coronâ in Cęlis redimita eſt, Sanctorum cultu in terris colenda, ſuper candelabrum Eccleſię à Sanctitate Veſtrâ optimo jure imponetur.

Carolus de Vecchiis Archiep. Athenarum, Aſſiſtens.

Hoc potiſſimùm tempore, quo Sanctitas Veſtra Re-

Regum pietatem ad Christianam religionem adversùs immanisſimos hoſtes tutandam excitat, atque exemplo ſuo compellit: congruenter atquè opportunè factum iri cenſeo, ut B. Marię Magdalenę de Pazzis heroicâ virtute, ac miraculis pręclarisſimę cultus ſolemni Canonizationis ritu augeatur. Etenim ſi Beata hæc Virgo, dum in terris degeret; quotidiè, uti compertum eſt, militantis Eccleſię non pacem tantùm, ſed triumphos etiam à Deo, fuſis lacrymis, ipſum quoque ſanguinem datura efflagitabat; ſperandum profectò eſt, hanc ipſam Virginem, dum in Cęlis modò triumphat, prę-ſentia rerum diſcrimina reſpiciętem validiori commendatione periclitanti Eccleſię ſuffragaturam.

Bernardinus Roccius Archiep. Damaſcenus, Aſſiſtens.

Prudentisſima Virgo Beata Maria Magdalena de Pazzis, Beatisſime Pater, divini Sponſi nuptiis à pueritiâ ſtatìm adſpirans, ne illo adveniente excluderetur ab ingreſſu, in divinâ obſequelâ ità nunquàm dormitavit, aut dormiit, ut ſuis ſimul in manibus fulgentisſimę vitę accenſam perpetuò lampadem, ſuo ſimul in vaſe paratum ſemper habuerit oleum affluentisſimę charitatis. Alienato paſsìm à ſenſibus animo, cùm Deo ſe jugi contemplatione continenter impenderet, adhuc ipſa ſeſe charitate ſummâ, ac demisſione altisſimâ in proximorum miniſteria etiam vilisſima erogabat. Tàm parca ciborum, quàm larga pœnarum, torqueri eduliis, ſup-

pliciis

pliciis refici videbatur. Meritò igitur adeò vigilem, & paratam cęleſtis illam Sponſus ſuum in Cęli thalamum recepit ad nuptias immortales. Liceat proindè & mortalibus in terris per Sanctitatem Veſtram epithalamium illi canere Sanctitatis.

Fr. Ioſeph della Corgna Epiſc. Vrbevetanus, Aſſiſtens.

Beatiſsime Pater. Tot virtutum decora in gradu heroico B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, tot ab eâ patrata miracula, tàm frequentes, ac ferè continui ſeceſſus mentis à corpore, quibus in terris degens ad Angelorum conſortium aſcendebat, ut cæleſtibus potiretur gaudiis, deliciis affluens, innixa ſuper dilectum ſuum, ſatis ſuperque ſuadere arbitror, Sanctitatem Veſtram tutò poſſe hanc Chriſti famulam Sanctorum faſtis aſcribere. Verùm ſpectatâ ingenti charitate, quâ Sanctam Dei Eccleſiam proſequebatur, ità ut illam indeſinenter quotidianis precibus, & votis rerum omnium Domino commendaret, ad hoc ipſum cæteras Moniales vehementer excitans; referendæ gratiæ nomine congruere maximè cenſeo, ut Sanctitas Veſtra, quæ ſingulari Chriſtiani populi beneficio, militantis Eccleſiæ viſibile caput exiſtit, hanc Chriſti Sponſam in Eccleſiâ triumphanti regnare declaret, & cultum Sanctis exhiberi ſolitum decernat illi, quæ vivens Eccleſiæ Sponſæ Chriſti decertanti in terris, ſuis deprecationibus, prodeſſe nunquàm deſtitit.

Paulus Aemilius Alterius Episcopus olim Camerinensis, Assistens.

Maria Magdalena inter Virgines prudentissima lampadem oleo sanctarum operationum refertam, ut cælesti Sponso diu, noctuque lucêret, sub humilitatis modio conservavit, dum vixit, inextinctam. Tuum modò est, Pater Sancte, qui Sponsi vices geris in terris, illam super Ecclesiæ candelabrum ponere, ut *luceat in æternum omnibus, qui in domo Dei vivent*.

Gregorius Bolognettus Episc. olim Reatinus, Assistens.

Beatissime Pater. B. Maria Magdalena de Pazzis heroicis ditata virtutibus, eximiâ charitate, vitæ austeritate, abstinentiâ penè incredibili, ac miraculorum splendore mirabiliter præluxit, eamque Christus Dominus, quem ab ineunte ætate usque ad extremum vitæ spiritum ardentissimè adamavit, in ejus Sponsam annulo suo subarrhavit, & coronâ spineâ redimivit, ab eodem in Cælis ei *impositam esse coronam de lapide pretioso*, jure merito declarandam censeo.

Laurentius Gavottus Episcopus olim Vintimillien sis, Assistens.

Venienti Sponso, Beatissime Pater, ornantes lampades suas occurrunt Evangelicæ virgines: Omnibus decôra virtutibus occurrit & Maria Magdale-

na.

na. Timentes illæ proprii luminis insufficientiam, prudenter quidem *miserunt alias ad vendentes, ut emerent sibi*: Cælestium incremento donorum in bonis operibus hæc semper abundans, longè prudentiùs omnibus diebus vitæ suæ verbo, & exemplo paratas solicitè voluit, quandocumque nocturno mortis audito clamore, nec operam perdidit, quæ decedentium plurimas videre meruit coronatas in Cœlo. Illæ, Evangelistâ narrante, quia prudentes, intraverunt cum Sponso ad nuptias: prudentiorem intrasse (Te Summo Pontifice meritò annuente) solemnioribus gaudiis nunciabit Ecclesia.

Iosephus Maria Suaresius Episcopus olim Vasionensis, Assistens.

Beatissime Pater. Plenum quidem gaudium est in Cælo, ubi multiplicatâ gente non magnificatur immensa, & sempiterna lætitia, sed abundat aureolis, fitque ad eam accessio quamvis circumscripta, & temporaria; utque imago vocis resultat in locis concavis, ità plausus hinc ad nos resilit, dum laudes Cælitum increbrescunt, & illi cultum Sanctorum decreto Vestræ Sanctitatis assequuntur. Id in B. Mariâ Magdalenâ de Pazzis eveniet, quæ professa pœnitentiam assumpto prænomine S. Mariæ Magdalenæ præmicantis hac virtute in specu nostratis Provinciæ, fuit à Christo donis supernis dotata, & sponsa cooptata; S. Heliæ, ac S. Theresiæ spiritum duplicem sororibus à se delectis innocentiæ

nempè depoſitum, & gratiæ hæreditatem reliquit; jamque geſtans phialam odoramentorum, oleumque in lampade coràm Agno parte potîtur optimâ. Quid-ni ergò conſonet meum ſuffragium potiori calculo Veſtræ Sanctitati, quæ veluti B. Petrum de Alcantarâ propter prænominis, etiam lacrymarum, oſtentorumque ſimilitudinem Sanctum ſtatuet ſuprà firmam petram in auguſtiſsimâ S. Petri Principis Apoſtolorum Baſilicâ; ſic & iſtam B. Mariam Magdalenam de Pazzis in Vrbe florentiſsimâ Etruriæ natam illuſtrabit natali ſanctitatis in illo colle Vaticano intrà Etruriam ſito, ut cunctis Chriſtianis venerabundis benignum, atque *beneficum Sydus illuceſcat, & Carmeli exaltatione exultatio augeatur.*

Gaudentius Polus Epiſcopus Amerinus, Aſſiſtens.

B. Maria Magdalena de Pazzis, Beatisſime Pater, propè ab infantiâ Parthenonem ingreſſa, Magdalenæ nomen implevit. Meliorem enim partem elêgit, conjunctâ ſemper Seraphicâ charitate cum Deo, & adhuc omni charitatis miniſterio occupata cum proximis, Mariam cum Marthâ conjunxit. Suffragantibus igitur virtutibus ipſius, atque miraculis; ſi Sanctitati Veſtræ videbitur, Mariæ, & Marthæ in Sanctarum cœtu cenſeo aggregandam.

Fr. Bo-

Ex virtutum floribus, Beatiſime Pater, qui per B. Mariam Magdalenam, de quâ nunc agitur, ex Carmeli vertice inter flores conſtituto, cęleſtem redolentes odorem, in ſacerdotali terrâ apparuere virentes. Vnicum venerabundus adverto, purpuream ſcilicèt roſam charitatis. Per ipſam enim vel fragrans odore, vel flagrans amore, in Deitatis odorem pura juvencula ad Sponſum currebat anhelans; quem inventum, & nunquàm dimiſſum (eique unita per gratiam) vel ſpirantem in Cruce, ejus vulnera ſugens, vel regnantem in Cælo, ejuſdem majeſtate gaudens, ſuum Sponſum contemplatione amplexabatur aſſiduâ, à quo & ſpineâ coronâ decorari, & annulo aureo meruit ſubarrhari. Ob hunc florem conſpicuum, & plures alias ſui candidiſſimi animi dotes, Ieſus puritatis amator, plurima (ut probatum habemus) operatus eſt miracula. Itaque ſicut Virginum choro ipſam in Eccleſiâ triumphanti credimus digniſſimè junctam, ſic in Eccleſiâ militanti earumdem coronæ, ad ſacra cultûs obſequia, fidelium cum plauſu, inſerendam humiliter cenſeo.

Matthæus de Ianuario Archiepiſcopus Rheginus.

B. Maria Magdalena de Pazzis ex ſuo amore in Deum verè divino, in proximum ſingulari roſas: ex mundi contemptu lilia carpſit; Vndè *bonus Chriſti odor fuit* in Carmeli vertice fragrans virtutibus,

ceu

ceu foliis coruſcantibus in gyrum emiſſis: indè candidis decôra veſtibus roſas ipſas,& lilia manibus geſtans, unâ tandem cum virginibus Agnum in Cęlis ſequitur, in vitâ, & poſt mortem excellens miraculorum gloriâ, quæ eam dignam prædicant,ut illi per Sanctitatem Veſtram publici decernantur honores.

Ὁ Ταπεινὸς Μητροπολίτης Δερβῶν Ὀνούφριος ὑπέρτιμος, καὶ ἔξαρχος δευτέρας Μακεδονίας ἰδίᾳ χειρί.

Ἐπειδήπερ (μακαριώτατε καὶ σεβασμιώτατε Πάτερ) περὶ τῆς μακαρίας Μαρίας τῆς Μαγδαληνῆς δὲ πάντοις ὀνομαζομένης λεκτέον μοι ἐστί, παρασταλέως ὁμολογῶ, τῷ τοῦ νοός μου δυνάμιν ἐδὲν ὃ ζωόλον ἰσχύειν, διότι ὁ ὑπερθαύμασος αὐτῆς βίος πάντα νοῦν ἀνθρώπινόν τε, καὶ ἀγγελικὸν ἀσυγκρίτως ὑπερπήδᾳ, καὶ (εἰ ἔξεστιν οὕτως εἰπεῖν) ὃ θεῖον ὑπερβέβηκε. Τίς ἄρα ἱκανὸς (ὅσα ἐνδοξε) ὀφείλεται τῷ ὑπὲρ τὸν φύσιν, καὶ ἀΰλον σου πολιτείαν ἀξίως ἐξυμνῆσε; ἐν σώματι μὴ ὄσα, ἐν σώματι ἦς, ἢ ἐκτὸς τοῦ σώματος; οὐκ οἶδα. τοῦτο μόνον οἶδα, ὅτι εἰς ἀεὶ πάντοτε πρὸς τὸν νυμφῶνος τὴν θύραν καρτερῶς εἰσήκεις, διὰ χερῶν κατέχουσα ὑ μόνῳ τῷ λαμπάδα τῆς πίστεως ἄσβεστον, ἀλλὰ καὶ ὃ ἀγγέλῳ μὴ τοῦ ἐλαίου, δηλαδὴ τῷ καρδίαν τοῦ νυμφίου τῷ ἔρωτι πλουσίως λιπανθεῖσαν, ὡς μία τῶν φρονίμων πέντε παρθένων. Δίκαιον οὖν εἴη αὖ (Μακαριώτατε Πάτερ) ὑπὸ τῆς ὑμετέρας Ἁγιωσύνης, θείᾳ ῥοπῇ ζωοδεθεῖσαν ἐχούσης τῷ ἀσφαλῆ διασάφησιν τῶν Λογίων θρανίων, τοῖς ἱεροῖς δώμοις ἐμβιβασθῆναι τῷ δὲ

τῷ

τὸν ὅτω καθαρὸν, ἐξ ἀμώμου παρθένου, ὡς ἐβεβλημένον ἐν ἀθέων ποικιλίᾳ τῶν αἱρετῶν, τῶν πίστεως, ἐλπίδος, ἀγάπης, ἁγνείας, σωφροσύνης, ἐλεημοσύνης, νηστείας, προσευχῆς, ὑπομονῆς, καρτερίας, καὶ τῶν ἐξῆς, μάλιστα δὲ ὡς τὰς τῶν πονηρῶν ἐνέδρας ἀνδρειοφρόνως νικήσαντα. Συμπαθῶν οὖν ἀντὶν Συὶ ταῖς οὐρανίοις Ἐφίμοις παρθένοις, ὅπως Δι᾽ τῶν ἀντῆς πρεσβειῶν ἡ σὴ μακαριότης εἰς διόρθωσιν, καὶ ἀσφάλειαν τῆς ἐμπεπιστευμένης σοι Ἐκκλησίας σῴζοι, καὶ ὑγιὴς Διατηρῇ.

QVOD, ut in omnium notitiam veniat, Latinitate donamus.

Onuphrius Constantinus Metropolita Debrarum, & Secundæ Macedoniæ Exarchus.

Cum mihi, Beatissime, & Venerabilissime Pater, de B. Mariâ Magdalenâ de Pazzis dicta dicendum esse oporteat, constanter profiteor, intellectûs mei virtutem ad nihil prorsus prodesse, quia miraculosa ejus vita omnem intellectum humanum scilicèt & angelicum longè incomparabiliter attonitum reddit (& si ità licebit dicere) miraculum ipsum superavit. Quis igitur sufficiens erit, ô glorioſa Beata, qui brevi verborum circulo supernaturalem, & immaterialem tuam politicam dignè exprimere poterit? In carne cùm esses, in carne nec-nè eras, an extrà carnem? ignoro quidem; hoc autem certò scio, te semper propè sponsalis thalami januam constanter permansisse, habentem præ manibus non solùm

lu-

lucernam fidei ſemper accenſam, verùm etiam & vas cum oleo, hoc eſt cor Sponſi amore repletum, tanquàm una ex quinque virginibus ſapientibus. Aequum igitur eſt, Beatiſſime Pater, ut Sanctitas Veſtra, cui cæleſtes veritates divina alligavit auctoritas, ſacris aris admoveat tàm puram, & immaculatam Virginem, circum amictam florum varietate, virtutum ſcilicèt, fidei nempè, ſpei, charitatis, puritatis, caſtitatis, eleemoſynæ, jejunii, orationis, patientiæ, conſtantiæ, cæterarumque omnium, & præſertìm ut generis humani hoſtis cavillationes viriliter ſuperantem. Compone igitur eam cœleſtibus alumnis virginibus, ut precibus illius Beatitudo Tua ad normam, & ſecuritatem traditæ tibi Eccleſiæ ſalva, & incolumis circumcuſtodiatur.

Ioſeph Ciantes olim Epiſcopus Marſicenſis.

Hauſimus ex fontibus Patrum illum eſſe Sanctum, Beatiſſime Pater, qui Fide perfectè eſt credulus, & Spe inconcuſsâ eſt firmus, atque Charitati perfectè eſt deditus. Cùm itaque in B. Mariâ Magdalenâ de Pazzis hæc omnia comprobentur, & in primis cùm in Charitatis notis fuerit inſignis, eò quia omni culparum labe abſtinuerit, & ad veram ſolidamque perfectionem, & bonorum conſequutionem vitæ curſum direxerit, denique ipſis in bonis ſibi, penè dixerim, connaturalibus innutrita conquieverit, ideò in hac ſum ſententiâ, ut eidem Sanctorum cultus ſolemniter decernatur.

V in-

Vincentius Vincentinus Episcopus Hieracensis.

B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis præclaræ virtutes, & admirabilia, quæ Deus eâdem intercedente operari dignatus est, eximiam ejus sanctitatem, & summam Dei in illam benevolentiam mirè testantur. Nam præfervidæ adolescentiæ motus ab eâ cohibiti, ne aliquam ejus pudicitiæ notam incurrerent, susceptum arctioris vitæ institutum, pœnis ultrò irrogatis corpus edomitum, & illa omnium virtutum comitatu instructa, charitatis ardor in Deum, velut quidam clarissimi eximiæ ejus sanctitatis radii præfulgent. Prætereà quàm piè, ac religiosè ergà Deum se gesserit, clarissimè ostendunt signa suprà humanam conditionem, ejus precibus, ac meritis publicè, ac omnibus admirantibus conspecta in vitâ, & post mortem. Quo fit, ut dignam eam existimem, quam Sanctitas Vestra Sanctis perpetuò cum Deo regnaturis adscribat, omniumque fidelium cœtus in hujus vitę malis sibi apud Deum Patronam adsciscant.

Vincentius Candiottus Episcopus Balneoregiensis.

Virgo Catharina de Pazzis, de Pazzis quasi per antiphrasim una de numero prudentum, non sine numine nomen Mariæ Magdalenæ assumpsit, quia Sacratissimæ Virginis Mariæ virgineum candôrem, & Magdalenæ pœnitentiam amplexa est. Inter cætera admiranda, quæ gesserit, comprobatur, vivam sui

ipsius motum amisisse per ecstasim, mortuam sui ipsius motum recuperasse per antipatiam mali, ut re verâ ostenderetur semper viva, quæ *in Domino obiit, & sicut tenebræ ejus, ità & lumen ejus*. Quare etiam viva, quasi mortua, cibo quandoque non utebatur: & mortua, quasi viva, incorrupta permanet, *quisque currit in odorem unguentorum suorum, & veluti oleum effusum nomen ejus*; non semel multiplicavit oleum, tanquâm una ex iis, *quæ sumpserunt oleum secum, & intraverunt cum Sponso ad nuptias*. Digna est ergo, cui canonico ritu Sanctarum Virginum honores jure merito decernantur.

Philippus Iacob Episcopus Policastrensis.

Beatissime Pater. Heroicæ virtutes Beatæ Mariæ Magdalenæ tanquàm septem aurea candelabra antè conspectum immaculati Agni emicuêre. Charitas, quâ fœtidissimas plagas infirmę Sororis excolebat. Virginitas, cujus immaculatum florem servans, beatiùs illi visum est in carne imitari vitam angelicam, quàm ex carne numerum fidelium augêre. Obedientia Confessorem celebrantem expectans, dum animam ageret, obediendo propositis, & illi subjacens. Fides, cujus Symbolum rusticanis puellis docens, ecstasim sæpissimè experiebatur. Humilitas, quâ tumidum quod superbia, elatumque redderet, humilitate explanaret. Abstinentia, cujus quotidianus cibus quinquennio solus panis, & aqua fuit. Et demùm amor in Ecclesiam Dei Sponsam,

pro

pro quâ quotidianas divinæ majeſtati preces effundebat. Meritò igitur à Sanctitate Veſtrâ univerſalis Eccleſiæ capite publicos illi eccleſiaſticos honores reſponderi judicarem.

Marcellus Phylonardus Epiſcopus Aquinas.

Beatiſſime Pater. B. Maria Magdalena de Pazzis Florentina nobilis Monialis Carmelitici Ordinis, & illibatę virginitatis flore nobilior, Italici ſplendentiſſimum Cæli jubar, videtur ſimillima in virtutibus, ac donis ex alto acceptis B. Petro de Alcantarâ. Propterea divino conſilio factum eſt, ut pari gradu cœtibus Sanctorum adſcribantur; ſicq; uterque ſexus habeat ſpiritualis lætitiæ peculiare argumentum. Nam & ipſa ab incunabulis futuræ ſanctitatis ſpecimen dedit, & orationi vacando, ſaluti animarum conſulendo, proximorumque egeſtati; habitum religioſum Carmelitici Ordinis jam Heroina induit, & inter limites ſui Monaſterii propriâ cellulâ contenta, collocutorium abhorrens, colloquia ſolùm cum Deo miſcêre, ſeceſsûs amica. Virgo enim de numero prudentum non alteri obviam ire didicit, quàm ſuo Sponſo Chriſto Ieſu; ſumpſit idcircò oleum, & aptavit lampadem ſuam, ut in tempore ejus adventûs prælucêret omnium virtutum meritis, & omnium chariſmatum donis. Hinc divini amoris æſtus, hinc ecſtaſis, hinc raptus, hinc illapſus, hinc irradiationes, hinc intuitiones & viſiones, hinc quies myſtica, quæ redolent anticipa-

tam beatitudinem, oſtendunt quantùm huic Virgini debitum ſit diadema decôris, quæ vel *mortua Chriſti bonus odor eſt*, neque in feretro jacens paſſa fuit à fœtido laſcivię ſordibus adoleſcente ſe aſpici. Fuit & ipſa aſſidua pœnitentia protracto jejunio in ſolo pane, & aquâ ad quinque annos cum *multâ patientiâ poſſidendo animam ſuam, & cum ſilentio præſtolando ſalutare Dei*; Quapropter juſtus Dominus comprobavit pluribus miraculis per teſtes fide-dignos relatis in tabulis ejuſdem ſanctitatem. Reliquum eſt igitur, ut Sanctitas Veſtra faſtis Sanctarum Virginum hanc Heroinam inſerat; ut ejus virgineæ ſanctitatis candôrem imitantes fideles, frangant libidinoſi Turcæ audaciam, & *meritò caſtitatis, & ejus profeſſione virtutis pacem conſequantur*.

Guarnerius de Guarneriis Epiſcopus Signinus.

Cæli captat favorem quicumque Mariæ Magdalenæ de Pazzis, quæ genus propemodùm à Cælo deducit, immortales optat honores; Nam quis negaverit cæleſtem ſortitam eſſe conditionem Virginem illam, quæ humanę ſortem ſupergreſſa mortalitatis, ne ſcintillam quidē æſtûs impudici ſuo ſenſit in corpore? Quęq; adeò pudicitiam amavit, ut etiam mortua è mortis ſomno illius evigilaverit ad tutelam; Iacens enim in feretro, verita ne impudici adoleſcentis ſibi propinquantis afflatu aliquâ ratione afficeretur, faciem ex ſiniſtrâ ad dexteram omnium cum admiratione convertit. Sanctitas igitur Veſtra aſcri-

aſcribens illam Sanctorum ordinibus, de Cælo, deque Eccleſiâ benè merebitur, illius alumnam, hujus Patronam exornando.

Ioſephus Palermus Epiſcopus Converſanus.

Beatiſſime Pater. Hortus virginitate concluſus, virtutibus floridus B. Maria Magdalena, innixa illi, qui paſcitur inter lilia, ſuaviſſimum cur non efflaret odorem, quæ ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ Dominicæ paſſionis, & thuris jugis orationis aſcendit meritorum deliciis affluens? flos iſte, Carmeli decor, cui gloria Libani data eſt, dignus videtur, quem Sanctitas Veſtra Sanctorum corônet infulis; quò & lętetur Eccleſia, & placeat Deo in odorem ſuavitatis.

Ioannes Carolus Valentinus Epiſcopus Civitatis Ducalis.

Beatiſſime Pater. Virâgo iſta, de cujus ſanctitate hîc agitur, utrumque implevit nomen, & Catharinæ quod reliquit, & Marię Magdalenę quod in Carmelo aſſumpſit; cum Sanctâ Catharinâ Sponſum obtinuit Virginis filium: cum Sanctâ Mariâ Magdalenâ æſtuavit, bullivit, arſit ſeraphico divini amoris incendio. Neutri harum ad rogum igniti pectoris defuêrunt aquæ, illi ut rigaret, huic ut flammeum cor temperaret; ſed nec illi, nec huic aquę multæ potuerunt extinguere charitatem. Ergo cùm utraque jam aſſecuta ſit in Cęlis optimam partem,

tem, quam elêgit in terris, dignisſimam affirmo hanc Mariam Magdalenam de Pazzis, quæ palàm deinceps honoretur in terris, tanquàm alteri Magdalenæ feliciter aſſociata in Cælis.

Camillus Piazza Epiſcopus Dragonenſis.

Gaudent in Cælis animæ Sanctorum, qui Chriſti veſtigia ſunt ſecuti. Gaudet ergo in Cælis Maria Magdalena de Pazzis, quæ dum in humanis agebat, *obſervavit omnes ſemitas Chriſti, & veſtigium pedum ſuorum conſideravit, nec receſſit à veſtigiis ejus.* Introduxit eam Sponſus in cellam, ne vagari inciperet poſt greges ſodalium ſuorum, & fœditate ſeculi commacularetur. *Introduxit in cellam vinariam, & ordinavit in eâ charitatem,* quâ mirabiliter excelluit. Sunt in omnium oculis virtutes ipſius, propter quas magnus illi honor, & exiſtimatio ſanctitatis, miracula quoque luce clariora ſunt. Quamobrem æquum eſſe arbitror, ut Sanctitatis Veſtræ decreto cæleſtes B. M. Magdalenæ honores confirmentur, & nomen illuſtretur magis in ædificationem populorum.

Ioannes Laurentius Caſtilioneus Epiſcopus Anagniæ.

Famula Dei B. Maria Magdalena, de quâ ſermo eſt, Beatiſſime Pater, cùm natu minima eſſet, maxima ſanctitatis dedit indicia; Rebus enim divinis, & præcipuè orationi aſſiduè incubabat, & procedens ætate, *quæ ſurſum ſunt ſapiens, in lege Domini, die, ac*

nocte

nocte meditabatur, adeò virtutibus omnibus decorata, ut invidiam inferis, mundo ſplendorem, cælo gloriam diffuderit. Animæ verò candor tantus fuit, ut aliquando ecſtatica, puritatis veſte induta præfulſerit; Quam integritatis lucem, vel poſt occaſum à juvene impuro ejus corpus intuente averſa, quaſi tunc orientem ſervavit: Quod prodigium, nec primum, nec noviſſimum proſecuta ſunt alia, ità numero, & qualitate conſpicua, ut digniſſimam, quæ Sanctarum Virginum catalogo aſcribatur, Sanctitate Veſtrâ annuente, humiliter exiſtimem.

Sebaſtianus Surrentinus Epiſcopus Trojanus.

Lætetur hodie deſerta, & invia, & exultet ſolitudo. Gloria Libani data eſt ei, & decor Carmeli; dùm B.M. Magdalenam de Pazzis, novum procereq; ſanctitatis germen Eccleſiæ protulit. Eam ergo virtutum meritis, & miraculorum radiis præfulgentem inter Sanctos viſibilis hujus noſtræ Eccleſiæ proceres adſcribendam, & velut columnam in Templo Dei locandam cenſeo.

Franciſcus Pallejus Epiſcopus Heliopolitanus.

Sanctiſſime Pater, jampridē audiit B.M. Magdalena de Pazzis, veni Carmeli de vertice ad Agni nuptias, coronam à cæleſti Sponſo pręparatam in ęternum acceptura, ità promerentibus heroicis, quæ exercuit virtutum operibus; ſed ardentiſſimâ potiſ-

tissimùm charitate, cujus inextinguibili oleo plenam, semper & accensam lampadem gerens, obviam ivit Christo Domino; nec-non testantibus multis antè, & post obitum patratis ab eâ insignibus miraculis. Quare tantùm supereſt, ut hoc idem per solemnem Canonizationem Sanctitas Vestra declarare velit, pro sibi concesso divinitùs privilegio, & ità quo jam Ecclesia triumphans superabundavit gaudio, eodem expleri militans ampliùs non tardêtur.

Franciscus Cinus Episcopus Maceratæ, & Tolentini.

Beatissime Pater. B. Mariã Magdalenam de Pazzis sociam adjungere B. Petro de Alcantarâ in cultu, & veneratione apud mortales, sicut apud Deum in virtutibus, meritis, & gloriâ vixit, opportunum adjudico. Testis enim ille, si adfuit è Cælo in exercitatione pœnitentiæ gementibus, paratum esse gaudium in futurâ vitâ, quale in cor hominis non ascendit. Testis hæc fuit in terris ejusdem supernæ dulcedinis affluentiam etiam in præsenti tantam à Deo impertiri, quantam cor hominis non capit; sæpè enim cælesti Sponso repetebat: *Amor redi in te, tanti amoris incapax ego sum*. Quamobrem contemporaneam utriusque in Sanctorum fastis adscriptionem, peccatoribus fidem, & ad pœnitentiam incitamentum allaturam existimo.

Ioannes Baptista Spinola Episc. Lunensis Sarzanensis.

Beatissime Pater. Florentia semper electissimis floribus fragrans illibatum Ecclesiæ lilium aperuit

Ma-

Mariam Magdalenam de Pazzis, quam Carmeli Virgines coluerunt, & annuente hac Sanctisſimâ Sede jamdiù Beatam prædicaverunt. *Laudent* igitur eam in poſterum *omnes generationes*, & ſi ità Sanctitati Veſtræ videbitur, *Sanctum ſit nomen ejus*; quandoquidem perfectionis ipſius argumenta id ſatis probant.

Iulius Caracciolus Epiſc. Melphienſis, & Rapollenſis.

B. Maria Magdalena de Pazzis ardenti adeò charitate æſtuavit, & duabus alis, & amore ergà Deum, & charitate ergà proximum ad ſydera tendebat, ut nil mirum, ſi ad Cælos ſuis innixa flammis poſt exutam mortalitatem illicò avolarit, vel unâ hæc amoris flammâ ſummæ ſanctitatis ſplendorem congeminavit. At in præſenti meritò videtur, ut lumine quoque fidei Dei Sponſam in Cælis regnare credamus; Idque tùm demùm fiet, cùm ſumma Apoſtolicæ Sedis auctoritas divino afflatu ſanctam, atque adorandam pronunciet, quod æquum ſanè arbitror, ac tantæ Virginis meritis, ac laudibus dignum.

Emanuël Brancatius Epiſcopus Ariani.

Quis unquàm ambigere poteſt, Beatisſime Pater, inter prudentisſimas Virgines adſcribendam eſſe B. Mariam Magdalenam, quam divinus ille Virginum Sponſus ad æternas thalami ſui nuptias me-

ritò admisit. Ipsa enim vivens non solùm charitatis lucidissimam lampadem præ manibus continuò gestavit; sed etiam oleum sanctarum operationum, ut sapiens in vase servavit usque ad amantis Sponsi occursum; immò post obitum ejus virtutum dilucidissimam attestationem nobis præbuit prodigiosum olei incrementum, ut ostenderet tantæ Virginis *nomen tanquàm oleum effusum* in Ecclesiâ.

Franciscus Ravizza Episcopus Sydonienſis.

Beatissime Pater. Maria Magdalena de Pazzis ab ipsis incunabulis *dexteram armavit ad fortia*, & dum corpus in eisdem naturæ primitiis agebat humanitatis primordia, animus jam grandia meditabatur, primaque virtutum projiciebat fundamenta futuræ præludia sanctitatis. Adhuc infans abhorruit ætatis illecebras, ut adulta mundum consterneret, & omni curâ, ac studio interno ornatui inclinata, vanos despexit fucos, ut quò magis hominibus inculta, eò formosior Deo apparêret. Hisce principiis purissimæ vitæ præsagium secum ferentibus non imparem finem conjunxit. Siquidem divino amore, quo ferventissimè exardebat, coadjuvante, de virtute in virtutem, de perfectione in perfectionem progressa, metam tenuit sanctitatis, ejusque vestigia in odore, qui incessanter exhalat ex ejus corpore, reliquit; ut meritò inter Beatos reposita, mortalium quoque venerationi Pontificiâ auctoritate accedente veniat exponenda. Decet enim,

ut

ut quæ pugnando mundum habuit adversantem, victrix mundum habeat adoratorem.

Fr. Petrus Lanfranconius Episcopus Interamnensis.

Vber divinæ Ecclesiæ campus superni irrorante gratiâ spiritûs, & flores, & fructus jugiter profert in horreis Paradisi meritò asservandos. Eximiæ perfectionis flos vernans existit B. Maria Magdalena de Pazzis Florentiæ exorta, quæ & lilii candôrem in illibatâ virginitate, & rubentis rosæ speciem protulit in charitatis ardore. Vt sacris igitur imponatur Aris, humillimis exposco votis; tantæ enim Sanctimonialis Carmelitæ in odorem current copiosiùs fideles, ut coràm Deo preces effundat.

Hercules Dominicus Monannus Episc. Terracinensis.

B. Maria Magdalena de Pazzis *Virgo sapiens, & una de numero prudentum*, Beatissime Pater, virginitate, pœnitentiâ, humilitate, oratione, extasi, & supernis illustrationibus fuit admirabilis, nec-non miraculis clara, prout ex multiplici Processu tàm luculenter confecto, & à Sacrâ Congregatione discusso; undè sum in voto, ut sicut à Domino cælestem, ac triumphalem accepit coronam, *quam illi præparavit in æternum*, ità & à Sanctitate Vestrâ ejus Vicario, solemni Canonizatione Sanctarum numero ascripta in militanti Ecclesiâ coronetur.

Perennes B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis igneque flagrantis suæ charitatis effervescentes lacrymæ, quibus illa, Pater Beatissime, Catholicam Ecclesiam, peccatores, hæreticos, & infideles Deo commendare, ad Christum reducere, fide illuminare totis viribus satagebat, tanquàm divinæ charitatis indubitatissimum argumentum cogunt me ad Indorum infidelium conversionem profecturum, in eam venîre sententiam, ut tantam Virginem non modò inter Cælites conscribendam existimem, verùm etiam Dei Ecclesiæ, propagandæque fidei constituendam esse propugnatricem, & advocatam.

Onuphrius Hippolytus Episcopus Porphyriensis.

Mariæ Magdalenæ de Pazzis, scilicèt lilio Carmeli, natalem dedit Civitas florum. Catharinæ nomen à sacro fonte accepit, quod claustrum ingrediens commutavit, ne Seraphicæ illius Catharinæ titulos jam tùm præripere videretur, quam sibi moribus jugiter imitandam assumpserat. Divini amoris quippè violentâ dulcedine accensa, & magis accendi cupiens, inter inferni flammas non horruisset detrudi, modò ibi ineffabile nomen amantis non audiret blasphemari. Quid mirum? dilectus illam sauciaverat telis charitatis suæ, & venabulo verbi sui, quod est penetrabilius omni gladio. Nam nostræ Virginis cordi inscriptum fuerat aureis characteribus

ɑeribus per manus Divi Auguſtini : *Verbum caro factum eſt*, & à Deo ipſo ſpineâ fuerat redimita coronâ. Venit ſepîre vineam ſuam bonus Agricola, ut poſſet dicere, ſepi aures tuas ſpinis : noli audire mortalium voces, cùm verbum habeas inciſum in corde. Decet ergò, Sanctiſſime Pater, coronâ juſtitiæ decorari B. Mariam Magdalenam, & venerandam altaribus exponi, dum ſic à Chriſto fuit coronata, ut victima divinitatis.

Marcus Antonius Vincentinus Epiſc. Fulginatenſis.

Excellentiorem viam cum Apoſtolo nempè charitatis B. Maria Magdalena de Pazzis demonſtravit, cujus dilectio claritatem ſanguinis vilibus pannis mundi licentiam religioſo carcere, corporis illecebras virginitate, ac pœnitentiâ, omnia denique quaſi nihil deſpiciens, nullis difficultatum aquis potuit extingui. Charitas illa, quæ verſantem adhuc in terris Magdalenam, in Cælo commorantem edocuit, hoc eſt, magis ubi amabat, quam ubi animabatur, jure depoſcit, ut oraculum tuum, Beatiſime Pater, in Cælo pariter cum Sanctis regnantem publico terrarum Orbis theatro teſtetur.

Philippus Alferius Oſſorio Epiſcopus Fundanus.

B. Maria Magdalena de Pazzis, Beatiſſime Pater, dicere ſolita fuiſſe refertur, eam non implêre nomen Sponſæ Chriſti, quamvis profeſſione virginitatis,

tatis,& habitu talem se ostenderet,quæ solicita non esset de universali Ecclesiâ suum Sponsum quotidiè pro ejus incolumitate deprecando.Illa enim est primaria Christi Sponsa, ad cujus sanctitatis ideam suos mores efforment aliæ, ut possint post ipsam adduci,& sequi *Sponsum speciosum præ filiis hominum.* B.Maria Magdalena solicita quidem fuit, ut Ecclesiam universalem, *seque ipsam Virginem castam exhiberet Christo*, sed multò solicitior, ut suâ cooperatione non haberet ipsa rugam, neque maculam, in quâ tanquàm in speculo nitidissimo, & Ecclesiæ universalis,& singularem sponsarum puritas,& pulchritudo aut repræsentaretur, aut etiam reformaretur.Et obtinuit id illa omninò. Quare solicita nunc est Ecclesia universalis,ut suprema sui capitis,id est, Romanæ Sedis oraculo, cum ipsâ participet suum titulum Sanctitatis.

Fr. Fulgentius Arminius Monforte ab Avellino, Episcopus Nuscanus.

Quod olim, Beatissime Pater, Spiritûs-Sancti voces expressêrant, *Fulcite me floribus*,ad B.Mariam Magdalenam de Pazzis omninò spectare videtur; ipsa etenim è florentissimâ Etruriæ Vrbe tot Deo virtutum flores exhibuit, ut eos Pater æternus, *qui est æternus Agricola* in Cęlorum horto etiam exoptarit inserere. Ista siquidem non secùs, ac Evangelica *optimam partem elêgit*,& quod illa lacrymis cœperat, hæc complevit; Si Hierosolymis prima pedes Salvatoris abstersit: Florentiæ altera ejusdem attraxit amo-

amores; Nec solùm capillos ad obsequium applicuit, sed avulsit. Decet, ut quemadmodùm illa unguento Christum allexit, ità & hæc Te Christi Vicarium suavitate boni odoris alliciat; & ejus fragrantiam à capite in universum Ecclesiæ corpus effundas.

QVONIAM verò DD. Card. Spinola, & Episcopi Larinensis, & Fanensis adversâ valetudine domi detenti, in eodem Consistorio suffragia ferre non potuerunt; ea proindè ad D. Casalium Secretarium Congregationis transmissa, hîc libet recensêre.

DE B. PETRO.

Iulius tituli S. Martini in Montibus Presbyter Card. Spinola.

Eximia P. Petri de Alcantarâ virtus illuminat Cælum Hispanum, adornat Orbem Catholicum, illustrat Ecclesiam Dei fulgôre tanto, ut mortalium pupillæ hebetentur, ac mentes penè obruantur. Nec novum occupari ab admiratione locum, qui deberetur ejus laudibus; imperfectè enim commendantur, quæ non comprehenduntur. Neque narrari possunt inclyta, & præter naturam opera ab isto Heroe perpetrata, si ejus vita continuum miraculum, & virtutum omnium exercitium fuisse prædicant omnes, exorantque Beatitudinem Vestram, ut triumphantis Ecclesiæ in albo eum relatum declaret, qui fuit decus militantis. Vndè communibus

votis

votis addo meum, æquum existimans colere ut Sanctum è Cælo, qui omnem sanctitatis numerum explevit in terris.

Persius Caraccius Episcopus Larini.

Si quisquam Religiosorum Virorum fuit unquàm, qui æmulator extiterit Apostoli dicentis de se ipso, *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne fortè cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar*; Petrus de Alcantarâ profectò is dici debet; qui sic castigabat corpus suum, jejuniis, inediâ, flagellis, vigiliis, ciliciis, & assiduâ oratione, ut non solùm in servitutem spiritûs redigeret, sed etiam in illud tanquàm domesticum hostem desæviret. Verùm tàm severâ carnis castigatione Deus jam tùm providebat sibi virum S. Francisci imitatorem, qui pro redintegrandâ Minorum Fratrum austerâ paupertate, jamdiù collapsâ, & magnâ ex parte relaxatâ, & destitutâ, & auctor strictioris observantiæ, & regula, lexque vivens ipse esset, omnibus virtutibus, & præcipuè perfectâ in Deum, & in proximum charitate præfulgens. Hic igitur Beatus Vir ità corpus suum tàm severâ, jugique pœnitentiâ ad immortalitatem erudivit, ut ejus perfectissimam sanctimoniam Deus ipse eximiis sanxerit miraculis. Quare æquum est, ut nos quoque, annuente Sanctitate Vestrâ, Cælitum honoribus eum, & aris publicis in terris colamus.

Ioan-

B. Petrus de Alcantarâ vitam nostram in seculo, quæ humiliato corde à Deo erigitur ad Cælum, optimè in scalâ Iacob agnovit, eamque ascendendam sibi proposuit. Et quidem spiritu pauper humilitatis primo fortiter sistens gradui, indè virtutibus procedentibus certatim cum Angelis ad summum usque pervênit, ac meruit, qui à Domino scalæ innixo in æternas reciperetur sedes. Vndè tot etiam accedentibus signis sacros honores tanto Heroi à Sanctitate Vestrâ censeo deferendos.

DE B. MARIA MAGDALENA.

Iulius tit. Sancti Martini in Montibus Presbyter Card. Spinola.

B. Mariam Magdalenam de Pazzis colendam jam esse ut Sanctam quis dubitet? Si adhuc miseriarum vallis incolæ supernis felicitatibus frui concessum, si adhuc mortali cæleſtes delicias cum immortalibus fuêre communes? Sed cur potiùs non dixerim in præclarâ istâ Virgine inveniſſe delicias suas spatiantem inter lilia Deum? Sæpè enim commoratus cum ipsâ, semper sibi benè complacuit in ipsâ; dilectam Sponsam declaravit annulo, sibique persimilem fecit spineo serto. Supereſt tantùm, ut nunc Beatitudo Vestra imponat tàm *digno capiti de lapide pretioso coronam*, decernendo illi gloriam, & honorem Sanctorum. Ità sentio, ità supplex exoro.

Non latebat virginem prudentem Mariam Magdalenam de Pazzis abſtinentiæ virtutem, quæ in jejuniis, & carnis maceratione poſita eſt, non eſſe perfectionem ſanctitatis, ſed adjumentum. Cùm igitur ipſa ad perfectionem anhelaret, pro comparandis, fovendisque aliis virtutibus, quibus ſanctitas perficitur, adhibendam ſibi abſtinentiam exiſtimavit, quæ omnibus omninò virtutibus opitulatur. Cœpit itaque abſtinentiâ corpus tenuare, & caſtis jejuniis eò uſque provecta eſt, ut quinquennio pane ſolo, & aquâ pro cibo uteretur, quod fortiſſimum eſt jejunium; Deindè ex Medici imperio propter ſtomachum aliquid tantiſper vini aquę permiſcêret. Nihil ergo mirum, ſi hujus abſtinentiæ ope, maximos in omnibus virtutibus progreſſus fecerit, & præcipuè in humilitate, quâ ſe imperfectiſſimam profitebatur, cùm aliis perfectiſſima videretur. Hinc corpore attenuata, ſed ſpiritu validiſſima in frequentes extaſes rapiebatur, & præcipuè jam inſtante morte, ut anticipatâ Paradiſi dulcedine adhuc ſpirans, & in carne vivens prægustaret. Talis itaque, ac tanta Virgo, quæ Angelorum vitam degebat in terris, digna prorſus videtur, ut Sanctitatis Veſtræ decreto in Sanctorum album referatur, ſocia virginum prudentum, quæ adornatis meritorum lampadibus intraverunt cum Sponſo ad nuptias.

Contemplor, Beatissime Pater, Mariam Magdalenam in maximâ suæ voluntatis abnegatione, & obedientiæ victimam ad perfectionem sanctitatis evectam; Imò uti Aeternus Pater tantâ exinanitione vinctus omnipotentiam illi communicavit, dum moritura adhuc expectare à Confessario jussa animam ad Cœlum jam iter ingressam merito obedientię compescuit. Grande portentum! Christus ut esset obediens, perdidit vitam; Maria Magdalena ad vitam se revocavit. Quapropter Sanctitas Vestra optimam habet causam universo Orbi indicandi, eam in Cœlis regnare cum Sanctis, quæ in terris exemplar extitit obedientiæ.

QVIBVS attentè auditis, Sanctissimus sic eos allocutus est.

SS. diem Canonizationis indicit.

Venerabiles Fratres. Suffragijs vestris in unum consentientibus, eòque collineantibus, quò Noster quoque animus ferebatur, diem Canonizationis indicimus vigesimam octavam Aprilis, Dominicam in Albis. Pollicetur spectata pietas vestra, quòd cùm agatur de re tanti ponderis, & ad universam Ecclesiam pertinente, precibus, jejuniis, eleemosynis, alijsque piis operibus ab Altissimo, sicuti summoperè cupimus, postulabitis, ut super hac voluntatem suam Nobis dignetur ostendere.

VBI Summus Pontifex dicendi finem fecit, Procurator generalis Cameræ Apostolicæ, stantibus adhuc Prælatis, Protonotarios, ut eorumdem Actorum fidem facerent, ita rogavit.

Procurator Cam. Apost. rogat Protonotarios super Canonizatione decreta à SS.

Egò Stephanus Braccius SS. D. N. & Cameræ Apostolicæ Procurator generalis, rogo vos omnes Protonotarios, & Notarios Apostolicos hîc præsentes, ut de sententijs, consilio, & unanimi consensu Reverendissimorum DD. S. R. E. Cardinalium, nec non Patriarcharum, Archiepiscoporum, deque Summi Pontificis oratione, ac deliberatione præhabitis super solemni Canonizatione Beatorum Petri de Alcantarâ, & Mariæ Magdalenæ de Pazzis, unum vel plura, publicum, seu publica conficiatis Instrumentum, vel Instrumenta, ad perpetuam rei memoriam.

TVNC R. P. D. Decanus Protonotariorum Aloysius de Aquino ejusdem Collegij nomine eos, qui propè solium stabant, hujus rei testes adhibuit, dicens: Vobis testibus. Atque ità Consistorium dimissum est.

Consistorium finitum.

Vulgatâ ubique famâ Canonizationis brevî faciendæ, innumeri ex omni sexu, atque ætate mortales in Vrbem confluere cæperunt; fervêre peregrinis itinera, opplêri viæ, undâre populo fora, totâ Vrbe hilaritas & gaudium agitari, universi ad publicam solemnitatem magnoperè commoveri, & tantæ videndæ celebritatis incredibili quodam studio

Concursus ad solemnitatem Canonizat.

dio duci; necnon ſingularem pietatis ſenſum ergà Beatos PETRVM, & MARIAM MAGDALENAM verbis, factiſque oſtendere: ubique lætitia, ubique plauſus, ubique gratulatio, ubique religio. Sanctiſſimus verò, ut huiuſmodi ſolemnia cæleſtibus quoque donis celebriora redderet, &, quod caput eſt, Chriſti-fideles ad egregias tàm illuſtrium Sanctorum virtutes imitandas invitaret, iique, ad id præſtandum pro viribus, gratiam à Deo obtinerent, conceſſit, ut omnes qui huic Sacræ Canonizationi adeſſent, ſalutarem expiationem & indulgentiam plenariam lucrarentur; in lucem prolato hujus tenoris Edicto, quod Eminentiſſimus D. Cardinalis Ginettus unâ cum aliis ſequentibus (quorum exemplaria pariter typis data, de more, iis omnibus, quibus opus erat, conſignata ſunt) ad præcipua quædam, & frequentiora Vrbis loca affigi, & promulgari mandavit.

MARTIVS Miſeratione divinâ Epiſcopus Portuenſ S.R.E. Cardinalis Ginettus, Sanctiſſimi D.N. Papæ Vicarius Generalis, Romanæque Curiæ, ejuſque diſtrictûs Iudex ordinarius, &c.

Indulgentiæ pro Canonizatione.

La Santità di Noſtro Sign. Papa Clemente IX. concede Indulgenza plenaria, e remiſſione di tutti i peccati à tutti li fedeli Chriſtiani dell' uno, e dell'altro ſeſſo, che confeſſati, e communicati, overo con fermo propoſito di confeſſarſi, e communicarſi dentro la medeſima ſettimana, interverranno alla Proceſſione, ò alla ſolenne Canoniza-

nizatione delli BB. PIETRO d' ALCANTARA, e MARIA MADALENA DE PAZZI, che con l'ajuto divino si farà da Sua Santità Domenica in Albis prossima 28. del corrente mese d' Aprile nella Basilica Vaticana; Et à quelli, che ritenuti in casa, ò in carcere, & alle Monache, & altri esistenti in clausura, & ad ogn'altro in qualunque modo legitimamente impedito, che allo sparo di Castello, ò al suono delle Campane in detta mattina genuflessi, ò altrimente come potranno, diranno tre Pater noster, e tre Aue Maria, e renderanno gratie à Dio della solenne Canonizatione de' sudetti Beati per la gloria, che in essa si aggionge alla Religione Cattolica. In quorum fidem, &c. Dat. Romæ ex ædibus nostris die 17. Aprilis 1669.

M. Card. Ginettus Vicarius.

Ioseph Palamolla Secr.

MARTIVS, &c.

Intimatio supplicationis pro universo Clero.

La Santità di N. Sign. comanda à tutti li Canonici delle Patriarcali, e Collegiate anco insigni, Curati, Secolari, e Regolari, Monaci, Frati, & altri tutti del Clero Secolare, e Regolare di Roma soliti ad intervenire alla Processione del Corpus Domini, che Domenica in Albis 28. del corrente mese d' Aprile debbano ritrouarsi ad hore undici nel Cortile superiore del Palazzo Apostolico Vaticano per intervenire alla generale, e solenne Processione della Canonizatione da farsi con l'ajuto divino nella Basilica di S. Pietro delli Beati PIETRO d' ALCANTARA, e MARIA MADALENA de PAZZI, sotto pene à nostro arbitrio, Dat. Romæ hac die 17. Aprilis 1669

La

La Processione comincierà dalla Porta maggiore del Palazzo alla Guglia, e d'indi alla Porta della Basilica di S. Pietro, dove i Letterati nell' uscir della Porta comincieranno à disporsi per ala da ambidue le parti, e così gl'Orfanelli, & altri tutti del Clero Regolare, e Secolare disposti per ordine l'un doppo l'altro secondo che arriveranno, si tratteranno così disposti, & aspetteranno Sua Beatitudine.

Il Capitolo di S. Pietro si auvierà prima secondo il solito, e disposto sotto il Portico della Basilica presterà la solita assistenza à Sua Santità.

Li Capitoli, e Clero delle Basiliche Liberiana, e Lateranense con le due Collegiate Insigni, e non altri entreranno dentro la Basilica Vaticana, & in essa disposti per ala similmente aspetteranno l'arrivo di S. Santità.

M. Card. Ginettus Vicarius.

Ioseph Palamolla Secr.

MARTIVS, &c.

D'ordine espresso di N. Sig. si comanda à tutti i Superiori tanto Secolari, quanto Regolari, Rettori, Sagrestani, Cappellani, Custodi, & à qualunque altro Ministro di tutte le Patriarcali, Basiliche, Collegiate, Chiese, Oratorij, e Monasterij di Monache in Roma, che Domenica in Albis prossima 28. del corrente mese d'Aprile, che si farà mediante l'ajuto divino la solenne Canonizatione delli Beati PIETRO d' ALCANTARA, e MARIA MADALENA de PAZZI, subito, che sentiranno sparare le bombarde in Castel S. Angelo, ò sonare la campana di Campidoglio, circa le 14. hore, faccino sonare tutte, e singole campane delle loro

Intimatio pro sonandis organis.

loro Patriarcali, Basiliche, Collegiate, & altre Chiese anco di Monache, & Oratorij à festa per lo spatio almeno d'un' hora, e più. Sotto pena à nostro arbitrio, Dat. Romæ die 17. Aprilis 1669.

M. Card. Ginettus Vicarius.

Ioseph Palamolla Secr.

Cardin. Hassiæ defert literas Imp. pro Canonizatione B. Mariæ Magdal.

DIE XXII. Aprilis, feriâ secundâ post Pascha, Eminentissimus D. Fridericus Cardinalis Hassiæ à Leopoldo I electo Romanorum Imperatore Augusto apud Summum Pontificem Pro-legatus designatus, innumeris è primariâ nobilitate viris, & Romanæ Curiæ Prælatis comitatus, à suo Palatio ad Vaticanum curru magnifico vectus, literas ejusdem Cæsareæ Majestatis obtulit SS. D. N. CLEMENTI IX. quibus ei gratias agebat Imperator, quòd ad suam interceſſionem B. MARIAM MAGDALENAM de PAZZIS Sanctorum catalogo ascribere decrevisset; insuper Sanctitatem Suam rogabat, ut in Canonizationis solemniis consuetas, ut vocant, instantias audire dignaretur Suæ Majestatis nomine ab Eminentissimo D. Card. Rospiglioso Sanctitatis Suæ ex germano fratre nepote faciendas. Cui alias item Cæsaris literas consignavit, ut in eâdem celebritate prædictas instantias facere vellet. Literæ autem sunt huiusmodi.

Bea-

Beatiſſimo in Chriſto Patri Dño Clementi IX. Divinâ Providentiâ S. Romanæ, ac Vniverſalis Eccleſiæ Summo Pontifici Dño Reverendiſſimo.

Epiſt. Imperatoris ad S. Pontificem.

Beatiſſime in Chriſto Pater Domine Reverendiſs. Poſt officioſiſſimam commendationem filialis obſervantiæ continuum incrementum. Vt jam ſæpiùs Paternam Sanctitatis Veſtræ in Nos propenſionem, peculiareque Nobis gratificandi ſtudium magnâ cum ſatisfactione, ac conſolatione luculentèr experti ſumus, ità & hoc magnoperè Nos afficit, quòd Sanctitas Veſtra Canonizationem Beatæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis ad interceſſionem noſtram, & vel maximè ob preclara ejuſdem ſanctitatis merita, proximè celebrandam decreverit. Et cùm jam aliud non ſuperſit, quàm ut hæc Beata honore illo, quo in Cælis fruitur, in terris quoque conſpicua reddatur, adeòque ejus Canonizatio proximè in effectum redigatur. Hinc Sanctitatem Veſtram pro filiali obſervantiâ noſtrâ impensè rogatam cupimus, ut inſtantias, quas eidem Nepos ſuus Reverendiſſimus Cardinalis Roſpiglioſius noſtro nomine hac in re porriget, beneuolè admittere, indèque ad actum Canonizationis dictæ Beatæ devenire dignetur. Faciet in eo rem Nobis gratiſſimam, cui Nos de reliquo vitam longævam, atque ſemper incolumem pro Vniverſalis Eccleſiæ, Domûſque noſtræ bono animitùs apprecamur. Datum in Civitate noſtrâ Viennæ, die XXIII. Martij anno Domini Milleſimo Sexcenteſimo Sexageſimo no-

no, Regnorum noſtorum Romani Vndecimo, Vngarici decimo-quarto, & Bohemici decimo-tertio.

Ejuſdem Sanctitatis Veſtræ

Obſequens filius

Leopoldus.

Reverendiſſimo in Chriſto Patri Dño Iacobo S. R. E. Cardinali Roſpiglioſio Amico Noſtro Chariſſimo.

Eiuſdem ad Card. Roſpiglioſium SS. Nepotẽ.

Leopoldus Diuinâ favente Clementiâ electus Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & VVirtembergæ, Comes Tyrolis, & Goritiæ. Reverendiſſimo in Chriſto Patri Domino Iacobo S. R. E. Cardinali Roſpiglioſio Amico noſtro chariſſimo ſalutem, ac beneuolentiæ noſtræ affectum, Reverendiſſime in Chriſto Pater Amice Chariſſime. Perjucundum Nobis auditu fuit Summi Pontificis Beatitudinem ad interceſſionem noſtram, Beatæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis Canonizationem, quam eximia ejuſdem, quâ in terris claruit, ſanctimonia promeretur, proximè celebrandam ſtatuiſſe. Cùmque jam apprimè deſideremus, ut ad ſolemnem hujus Canonizationis actum conſtituto tempore procedatur, iſque re ipſâ expediatur. Idcircò Paternitatem Veſtram

Re-

Reverendiſſimam pro ſingulari noſtrâ in eamdem fiduciâ hiſce enixè requirendam duximus, quatenus Sanctitatem Suam verbis noſtris rogare, ſolitaſque hac in parte inſtantias facere velit, ut ad actum Canonizationis præfatæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis devenire dignetur, non dubitantes, quin Paternitas Veſtra Reverendiſſima id curæ, ac laboris in ſe noſtri gratiâ lubens ſit ſuſceptura; quem in finem Eidem omnem ad hoc negotium perficiendum opportunam, neceſſariamue facultatem, vigore harum impertimur, & viciſſim Eidem peramicæ uoluntatis noſtræ officia prolixè offerimus, peculiaremque affectum noſtrum confirmamus. Datum in Civitate noſtrâ Viennæ, die vigeſimâ-tertiâ Martij anno M DC LXIX. Regnorum Noſtrorum Romani Vndecimo, Vngarici decimo-quarto, & Bohemici decimo-tertio.

Leopoldus.

Ioan. Vaul. Hochr. &c.

Chriſtophorus Abelez.

Orator Hiſpan. defert literas Suæ Maieſtatis pro Canonizat. B. Petri.

Sequenti die XXIII. ejuſdem menſis Aprilis Excellentiſs. D. Marchio Aſtorgæ apud Summum Pontificem Regis Catholici Orator pari, ac ſuprà dictum eſt, comitatu, ad Palatium Vaticanum ſe contulit: ibique tùm Sanctiſſimo, tùm Eminentiſs. D. Cardinali Roſpiglioſio regias literas tradidit, qui-

quibus Hiſpaniarum Regina cum filio ſuo Rege Catholico idem prorſus poſtulabat pro B. PETRO de ALCANTARA. Literas verò, quià ejuſdem tenoris erant cum ſuprà relatis, de induſtriâ hîc inſerere omittimus, ne Lectoribus etiam ſimiles repetendo, faſtidio ſimus.

Cæremoniarum Præfectus dirigit agenda in Canonizatione.

Vt autem omnia in promptu eſſent, quæ ad tantam celebritatem peragendam requirebantur, & ſuum quiſque munus opportunè poſſet implere; Reverendiſſ. D. Archiepiſcopus Phœbeus Cæremoniarum Præfectus ſingulis, quibus ex officio incumbebat, has præmonitiones in ſcriptis conſignari curavit.

Pro Generali S. R.E.

Illuſtriſſimus, & Excellentiſs. D. Camillus Roſpiglioſius Generalis S.R.E. jubeat, ut omnes militares copiæ, tàm pedeſtres, quàm equeſtres, Dominicâ in Albis, quæ in XXVIII. Aprilis diem incidit, ſummo manè, horâ ſcilicèt undecimâ conveniant ad forum Vaticanum. Equites idoneo ordine diſpoſiti, evaginatos præ manibus tenentes gladios, fori angulos occupabunt; pedites, quà ſolemnis ibit proceſſio, hinc indè viam tenebunt, à portâ videlicèt Palatij Vaticani ad Obeliſcum uſque in medio circo erectum, indèque ad portam uſque Baſilicæ, in duos partiti ordines ſtabunt armati, nec quemquam ſinent illâc importunè tranſire, vel rectum ordinem interturbare.

Illu-

Illuſtriſs. & Excellentiſſimus D. Thomas Roſpiglioſius, Caſtellanus Arcis S. Angeli mandet, ut proximâ Dominicâ in Albis XXVIII. currentis menſis Aprilis, Cantores ejuſdem Arcis, tranſeuntibus per Pontem DD. Cardinalibus, muſicis inſtrumentis de more numerosè canant; & Præfectis rei tormentariæ injungat, ut ſtatim atque audierint poſt horam XIV. in foro Vaticano ænea tormenta diſplodi: ipſi ſimiliter majora, & minora ejuſdem Arcis tormenta cum mortariis explodi faciant in ſignum communis lætitiæ, plausûſque pro Canonizatione BEATI PETRI de ALCANTARA, & B. MARIAE MAGDALENAE de PAZZIS. *Pro Caſtellano Arcis S. Angeli.*

Illuſtriſs. & Excellentiſs. D. Io: Baptiſta Roſpiglioſius Præfectus Cuſtodiarum Pontificiarum præcipiat levis armaturæ Equitibus, ut Dominicâ in Albis proximâ, quæ incidit in diem XXVIII. currentis menſis Aprilis, valdè manè thoracati, ac loricati, galeiſque muniti, necnon haſtas verſi-coloribus vexillis præ manibus erectas tenentes, inſiſtentes equis, ad gradus Baſilicæ tamdiù ſubſiſtant militari more diſpoſiti, donec Canonizationis ſolemnia finiantur. *Pro Præfecto Cuſtodiarum S. Pontificis.*

Injungat præterea Capitaneo Cuſtodiæ Helvetiorum, ut Dominicâ in Albis prædictâ, horâ ſcilicèt XIV ubi primùm audierit tympanorum pulſum, & tubarum ſonum ad porticum Baſilicæ Vaticanæ, explodi jubeat conſueto more omnia tormenta ſimul cum mortarijs. Curet inſuper, ut milites

lites sibi subjecti ferreis thoracibus, galeisque induti, partim excubent, custodiantque cancellos, & septa lignea, ad arcendum populum interjecta propè Confessionem SS. Apostolorum (sub imperio tamen Excellentissimi Ducis de Comitibus Magistri Sacri Hospitii) partim Sanctissimum ad Basilicam incedentem, utrumque illius latus tegentes, armati comitentur.

Pro Magistro Sacri Hospitij.

Illustrissimus, & Excellentiss. D. Dux de Comitibus Magister Sacri Hospitii, Dominicâ in Albis proximâ, XXVIII. currentis mensis Aprilis, summo manè in Basilicam Vaticanam se conferat, detque operam, ut intrâ locum ligneis undique cancellis clausum nulli admittantur, nisi vel nobiles externi, vel Vrbis Titulati. Intrà septum verò interius, Eminentissimorum DD. Cardinalium, & Prælatorum subselliis destinatum, neminem intrare, & stare permittat cujuscumque sit conditionis, nisi ei de more competat locum habere in Capellâ; ad illius tamen nutum eo die Helvetii septorum custodes præstò erunt.

Pro Fiscali Capitolino.

D. Fiscalis Capitolinus imperet tubicinibus, & tympanistis omnibus S.P.Q.R. ut Dominicâ in Albis, XXVIII. currentis mensis Aprilis, horâ XI. cum tubis, & tympanis ad S. Petri Basilicam pergant; ibique propè portam majorem consistentes, ad cantum Hymni *Te Deum laudamus*, & non anteà, tubas inflent, & tympana pulsent, saltem per

inte-

integrum quadrantem. Mandet præterea, eodem manè pulsari Campanam Capitolinam per integrum unius horæ spatium, cùm primùm audietur strepitus tormentorum bellicorum ex Arce Sancti Angeli.

Denique DD. Cæremoniarum Magistri Capellam pro celebrandâ Canonizatione, exemplari typis impresso iis omnibus tradito, quibus in eâ locum habere competit, ita denunciari fecerunt.

Intimatio per Cursores facienda, domi quoque dimissâ ejusdem copiâ.

Intimatio Capellæ Canonizationis.

Dominicâ in Albis proximâ XXVIII. currentis mensis Aprilis, Sanctiss. D. N. horâ duodecimâ cum dimidiâ descendet ad Cameras Sacrarij Pontificii, & indè sacris vestibus indutus ibit ad Capellam Sixti Quarti.

Eminentiss. & Reverendiss. DD. Cardinales horâ duodecimâ ad Palatium Vaticanum de more se conferent per viam Burgi Pij: & per schalam Atrij, vulgò di *Beluedere* superiùs ascendent; induent Cappas rubeas in loco consueto, ijsque dimissis, sacras vestes in Aulâ Regiâ accipient: nempè Episcopi pluvialia, Presbyteri planetas, & Diaconi dalmaticas albi coloris, & sic parati in Capellâ Sixti IV. adventum Sanctissimi expectabunt. Indè verò supplicabundi cum Sanctitate Suâ per plateam majorem ad Basilicam Vaticanam manu cereum accensum præferentes, procêdent; In Basilicâ ante Venerabi-

le

le Sacramentum genua flectent, & brevi orabunt: deindè cùm Sanctiſſimus in Solium ſe receperit, de more obedientiam præſtabunt tùm Eminentiſſimi DD. Cardinales, tùm Epiſcopi omnes, ac Pœnitentiarij Baſilicæ, & functioni ſolemni Canonizationis B. PETRI de ALCANTARA, & B. MARIAE MAGDALENAE de PAZZIS, Deo inſpirante, per Sanctitatem Suam peragendæ, ac Miſſæ per Cardinalem Decanum mox celebrandæ, ſacris adhuc veſtibus induti intererunt. Miſſâ abſolutâ, ſacra indumenta dimittent, Cappas reſument, & ad Capellam Sanctiſſimæ Trinitatis Pontificem comitabuntur. Inde, cùm Papa, ſacris indumentis depoſitis, ſede vectus redibit ad cubicula, ipſi ad propria remigrabunt.

Ex Cardinalibus Sacrorum Rituum Congregationis, duo Epiſcopi, duo Presbyteri, & duo Diaconi (in ſuo quique ordine reſpectivè antiquiores) cum duobus nobilibus ſuis familiaribus talari veſte indutis deferent ad Sanctiſſimum, ac reverentèr preſentabunt Sanctitati Suæ conſuetas oblationes.

Veſpere ejuſdem Dominicæ, & ſequentis diei antè ſua Palatia facient comburi dolia, & ad feneſtras accendi luminaria.

Intimetur etiam DD. Oratoribus Principum, Baronibus Solij, Conſervatoribus Vrbis, Oratoribus Civitatum ſubditarum, nec-non Epiſcopis Aſſiſtentibus, & non Aſſiſtentibus, PP. Pœnitentiarijs Baſilicæ S. Petri, Protonotarijs Apoſtolicis, Auditoribus Rotæ, Clericis Cameræ, Abbreviatoribus

ribus, Votantibus,& Referendarijs omnibus utriuſque Signaturæ, ut horâ duodecimâ conveniant in Capellam prædictam Sixti IV. & ſolemnijs Canonizationis interſint.

Epiſcopi tùm Aſſiſtentes, tùm non Aſſiſtentes cum pluvialibus albis, & mitris.

Pœnitentiarij cum planetis albis, & biretis.

Protonotarij Apoſtolici cum Cappis.

Reliqui Prælati, nempè Auditores Rotæ, Clerici Cameræ, Abbreviatores, Votantes, & Referendarij vtriuſque Signaturæ cum rochettis, & cottis.

ITAQVE accuratâ Procuratorum, de quibus ſuprâ meminimus, ſolicitudine,jam erant in promptu omnia, quæ D.Phœbeus Cæremoniarum Præfectus, & D. Caſalius Secretarius Congregationis Sacrorum Rituum ad Canonizationem magnificè peragendam parari antè præceperant;tùm pro ornatu Summi Pontificis, & Cardinalis miſſam celebraturi, eique miniſtrantium: tùm etiam pro eleganti apparatu Baſilicæ Vaticanæ.

Canonizationes celebrari ſolitæ in Baſil. Vaticana.

Tantæ enim rei ſacræ dignitas, & excellentia ampliſsimam in Vrbe, & Orbe Eccleſiam exigebat, in quâ hujuſmodi ſolemnitas celebraretur; ut re ipsâ, majori, quàm dici poſsit, religione, & maieſtate, jam dudum fieri conſuevit. Quapropter Maphæus Vegius author nobilis, & Sacrorum Rituum benè peritus (ut retulimus in actis Beatificationis S. Franciſci Saleſij) inter cætera privilegia, quibus eamdem Auguſtiſsimam Baſilicam ex anti-

Floruit ſedentib. Eug. IV. & Nicol. V.

quorum Patrum inſtitutionibus præ aliis munitam, & decoratam conſiderat, hoc etiam magni momenti adjungit, ità ſcribens; *Quid majus Canonizatione Sanctorum? quæ ibi* (ſcilicèt in Baſilicâ Vaticanâ) *pro majore nimirùm dignitate, & gloriâ celebratur?*

Sed jam narrationis noſtræ filum interruptum reſumamus, illudque diſtinctè, ac ſincerè continuando, Baſilicæ apparatum Lectorum oculis ſubiiciamus.

Baſilicæ apparatus.

Baſilicæ frontem in forum verſam maxima ornabat tabula ſuprà majorem portam appenſa, diſtincta angulis octo, auro inter obſcuros colores pulchriùs emicante conſpicua, alta palmos decem & octo, lata viginti-quatuor, quæ Salvatoris imaginem ſpectantium oculis exhibebat, throno regiâ majeſtate ſedentis, & BB. PETRVM dextrâ, MARIAM verò MAGDALENAM ſiniſtrâ manu coronantis. Circumvolabant cæleſtes genii puerili formâ habituque decori, qui de partâ coronâ gloriæ Sanctis applaudere, vel gratulari, videbantur.

Inſignia S. Pontif. Imper. & Regis Hiſpaniarũ in fronte Baſilicæ.

Aliæ huic ſubiectæ tabulæ Romani Pontificis ſtemma, adpictis clavibus, & Regno triplici coronâ circumdato, medium inter Cæſaris à dextris, & Catholici à ſiniſtris Regis inſignia continebant. Minoribus ab utroque latere foribus (quinque enim aditus inter ſuſtinentes faſtigium immanes columnas Baſilica aperit ad orientem) imminebant binæ auro ſuffuſo tabulæ pulcherrimis ſignis ornatæ;

Hiſpaniæ cum ſtemate Regis Cath.

Dextra repræſentabat Hiſpaniam, patriam S. PETRI de ALCANTARA: Etruriam exprimebat ſiniſtra

niſtra, quam S. MARIA MAGDALENA de PAZZIS claris natalibus illuſtraverat. Illa Hiſpaniarum Regis; hæc Magni Ducis Etruriæ Arma ſcuto depicta oſtentabat. Extremos Baſilicæ aditus hinc indè Franciſcanæ, & Carmelitanæ familiæ ſacra emblemata coronabant. *Etruria cum inſignib. M. Ducis.*

Porticûs interioris parietes pretioſa peripetaſmata veſtiebant, ſerico auroque contexta, & ſummâ arte elaborata, quæ ſpectantium oculos ad ſui contemplationem provocabant, eoſque defixos admiratione tenebant. Raphaëlis de Vrbino, & Iulii Romani, inter Pictores ſuperioris ſeculi facilè principum opus egregium, & exemplar conſequentis ævi pictoribus, textoribuſque relictum; quod tamen, ut ſuâ raritate allicit, ità ab imitatione deterret.

Baſilicam jam ingreſſis occurrebat in aversâ illius fronte alia octangularis tabula, quæ Sanctorum ad Superos volantium ſpeciem referebat, claris inter obſcuros expreſſam coloribus, atq; aureis ſplendoribus circumfuſam. Media ampliſſimi Templi navis octo ingentibus pilis columnarum inſtar conſtat: quarum utrinque quaternæ concameratum tectum ſuſtinent; hæ mirè elegantes exquiſito paratu erant, atque omnium oculos ad ſe in primo ſtatim aditu, pulcherrimo ornatu, rapiebant: ſtromatis è ſerico damaſceno rubro, aureis à ſummo ad imum uſque rectis lineis decurrentibus, conveſtitæ, pari ferè venuſtate, & opulentiâ. Spatium, quod ſupererat inter pilas vacuum, implebant ſupernè *Aulæa pro Baſilica Vaticana.*

depicta in tabellis auro illuminatis varia Sanctorum miracula, à dextris S. PETRI, à siniſtris S. MARIAE MAGDALENAE. Infernè bini puſiones ramuſculis, floribuſque impliciti alias fulciebant tabellas, in quibus idonea erat majoribus exarata literis inſcriptio, quæ ſuprapoſita declarabat miracula, eaque legentibus exponebat. Vacua etiam inter pilas loculamenta è craſſiori chartâ inauratâ candelabra occupabant, auro picta, ramoſa virgulis, patulam in comas lucem effundentia. Inter pilarum epiſtylia Pontificium Regnum tribus coronis per intervalla diſtinctum, clavibuſque ſuperimpoſitum, & ſacra hinc Franciſcanæ, indè Carmelitanæ familiæ ſtemmata alternatim diſtributa, totius ornatûs elegantiam non mediocriter augebant.

Pilæ Hemiſphærio altiſſimo ſuppoſitæ, quæ ad angulos convertuntur (ad capitella uſque octoginta tres altitudinis palmos habent) cum brachiis per tranſverſum in ſchema Crucis porrectis, vel dilatatis, magnificè ornatæ, auroq; conſpicuę videbantur, & damaſcenis totæ rubri coloris aulæis, intercurrentibus venis aureis, conveſtitę, jucundiſſimum efficiebant proſpectum. Hęc olim ſtromata Alexander VII. ad tegendas quatuor Hemiſphærii pilas confici curavit anno MDCLXV. cùm B. Franciſcum de Sales in Sanctorum numerum retulit: modò SS. D. N. CLEMENTIS IX. juſſu, reliqua ad ornandum corpus, brachiaque Baſilicæ contexta fuerunt; Chiſiæ tamen, ut diximus (quod jure mireris) non Roſpigliosiæ gentis, ſtemmate inſignita.

Aulæa cœpta ab Alexand. VII.

Completa à Clemẽte IX.

Sub

Sub istâ Hemisphærij mole, Apostolorum Confessionem coronante, quatuor visuntur loculamenta, magnis Sanctorum statuis decorata; S. Veronicæ, & S. Andreæ Apostoli dextrorsùm: siniſtrorsùm B. Helenæ Augustæ, & Beati Longini Martyris. His alia quatuor ejusdem ferè magnitudinis imminent inducta auro, cochlidibus è marmore columnis, epistyliis, & coronis instructa: marmoreo è podio subterprostante sacræ Reliquiæ statis anni diebus Romano Populo ostendi solent. Ex iis pendebant quatuor vexilla opere egregio, venustâque formâ, aureis & argenteis in orbem filis pendentibus visenda, in quibus pictæ Sanctorum PETRI, & MARIAE MAGDALENAE imagines aureis item splendoribus circumfusæ radiabant. *Vexilla SS. Petri & Mariæ Magdalenæ.*

Innumeri librarum octo cerei, ligneis candelabris auro collucentibus infixi, superiorem, inferioremque tholi majoris circulum prominentem, in orbem ardentes, quasi stellis cælum, colluſtrabant: indè, seù à capite longissima cereorum series per totius Basilicæ corpus, & brachia in formam Crucis transversìm ducta, tendebatur, suprà projecturas concamerationibus proximas pulcherrimo ordine disposita. Coronæ etiam columnarum, podiaque vicina Sacellis, ingentem illorum numerum sustinebant. Altaria ubique multis illustria luminibus ardebant. Ara præsertim maxima superstructa tumulo Sanctorum Petri, & Pauli inter cæteras enitebat, velut inter ignes Luna minores, cereis clara, ornatu augusta, pluribus Apo. *Ornatus Altaris Majoris*

stolo-

ſtolorum ſtatuis ex auro, atque argento conſpicua: cum Cruce, & candelabris aureis (horum tamen materiam longè ſuperabat opus) ab Alexandro Cardinale Farneſio, olim Vaticanæ Baſilicæ Archipresbytero, eidem Altari deſtinatis; quibus nunc Cardinalis Franciſcus Barberinus, nupèr etiam prædictæ Baſilicæ Archipresbyter, alia quatuor paris materiæ, & artificii candelabra addere parat, pro innatâ ſibi munificentiâ, & pietate: præter alia plura magni pretii oblata dona; inter quæ principatum tenet è puriſſimâ cryſtallo vaſculum, figurâ oblongâ, auro diſtinctum, mirabili opere, elegantiâque perfectum, cujus ſplendore ſpectantium oculi præſtringuntur; ad ſacratiſſimum Lanceæ ferrum, quo demortui Chriſti latus apertum fuit, includendum, & aſſervandum. Duplicem Aræ frontem bina amicula, ſeù pallia (frontalia vulgò dicimus) auro, opere phrygio, undique obducta, & ornata magnificè veſtiebant; de quibus fuſiùs infrà, cùm de ſacrâ ſupellectili egerimus. Vicinum prædictæ Aræ hemicyclum, marmoreis columellis munitum, & Sacram Apoſtolorum Memoriam, pretioſis ſtratam marmoribus, argenteæ Cælitum ſtatuæ, innumeris intermicantibus cereis, cingebant, & decorabant.

Cardin. Barberini munificentia.

Ad caput Baſilicæ contrà Aram maximam inter duas maiores, & ſuperiores pilas ampla Theatri machina aſſurgebat, hemicycli formam referens, ligneis undique cancellis, ad arcendam turbam, clauſa. Quatuor graduum ordines partim recti,

Theatri deſcriptio

par-

partim arcuati, palmâri altitudine, latitudine duplicatâ, à fronte, & lateribus in medium excurrebant, & facilem, ac commodum ad ipsius Theatri aream ascensum dabant. Ambitus ducentos sexaginta palmos, centum octoginta sex latitudo complectebatur. Ex eo in justam altitudinem elato subjectæ Basilicæ populo exundantis jucundissimus erat prospectus. In fronte, Solium Pontificium, majestate plenum, aureo fulgôre nitidum, in loco gradibus septem edito, eminebat (ut augustior altè sedentis species apparêret) quod desuper umbellâ phrygionico contextâ opere tegebatur, lemniscis aureis, auroque fimbriatis laciniis adornatâ. Ligneæ columnæ duplices, picturatis, inauratisque basibus, capitibus, & epystiliis, hinc indè sustinebant umbellam. In tabulam ovatâ figurâ suprapositam concinnâ venustate solium desinebat: quam Sanctorum PETRI, & MARIAE MAGDALENAE effigies aureo fulgôre lucentes, & aptis expressæ coloribus illustrabant; columbâ Spiritûs Sancti symbolo, expansis alis, eorum capitibus insidente. Pusiones duo adpicti plenis buccis tubas inflare videbantur; quasi vellent sacræ Canonizationis famam per universum terrarum Orbem divulgare, ac celebrem reddere. Tegebant utrumque latus solii statuæ Prudentiæ, & Temperantiæ, altæ palmos tredecim, elegantibus prostantes basibus, ad pedes quinque erectis. In aversâ solii parte, binæ aliæ columnæ anterioribus respondebant, pari magnitudine, & ornatu. Area lata palmos quatuor-

decim

decim, longa viginti quatuor erat, totaque, unâ cum gradibus, purpureis tapetibus cooperta.

Ab altero Pontificii throni gradu, duplex subselliorum ordo dextrâ, lævâque Eminentissimis DD. Cardinalibus destinatus, in medium ductu perpetuo, arcuatâ formâ, excurrebat, duobus fultus gradibus, tabulatis à tergo erectis conspicuus, ut digniùs, & commodiùs sedentes exciperet. Post subsellia Cardinalium duplex alius decurrebat ordo sedilium; primus Episcopis: secundus ad dextrum latus Patribus Pœnitentiariis, ad sinistrum Prototonotariis, & reliquis Officialibus iis adjunctis designatus.

Vestiarium S. Pontif. Arcuatum subselliorum ordinem à dextris excipiebat areola, quam Summi Pontificis Vestiarium (parvum solium appellant, hoc est, in quo is rem divinam facturus sacras induere vestes consuevit) holosericis auro textili, argentoque crispante magnificè convestitum occupabat: hanc, & subjectos illi gradus, quò dignior incessus esset, purpurei tapetes operiebant. Extremum sibi theatri locum vendicabant, ac finiebant variâ, & concinnâ specie tabellæ, in angulis assurgentes Basilicam versùs, opere egregio pictis geniorum formis, & floscu-lis auro, atque argento illuminatis, eximiè ornatæ.

Sveciæ Reg. Thalamus. E' regione, Sereniſſimæ Reginæ Sveciæ Thronus (thalamum vocant) paratu regio, in areolâ omninò simili, hoc est longâ palmos triginta-quatuor, latâ sexdecim eminebat. Tribus ille gradibus elevabatur, hinc indè holoserico punicei coloris vil-

loso

loſo aureis diſtincto lineis coopertus. Cœlum ſimili prorsùs fulgebat ornatu: interior ejus ſinus pretioſis, auro intermicante, ſtromatis ſplendebat. Ab utroque latere ſericei funiculi, quò Regina commodiùs, ac liberiùs proſpectare omnia poſſet, cortinas paululùm ſublevabant, & amovebant. Thalami aream, graduſque, rubri coloris periſtromata veſtiebant. Medium tenebat ſella è ſerico aureo confecta, clavis aureis munita, & fimbriis ex auro circumpendentibus ornata, Regiam exceptura Majeſtatem.

Statuæ Hiſpaniæ & Etruriæ.

Binæ aliæ paris cum ſupramemoratis ſtructuræ, ornatûſque, ſed altioribus elatæ baſibus ſtatuæ extrema Cardinalium ſubſellia, ac ſedilia Prælatorum, ab utroque latere claudebant, ac terminabant. Dextra exprimebat Hiſpaniam, dominantis habitu, faſtuque inſignem, turrito diademate coronatam, ſceptro jubentis more, parùm inclinato conſpicuam. Siniſtra referebat Etruriam, elato manu ſceptro inſtructam, & Ducali coronâ redimitam. Illa Hiſpaniarum Regis: hæc Magni Ducis Etruriæ inſignia majori ſcuto inſerta præferebat. Hærebant ſtatuarum baſibus tabellæ in medium prodeuntes, & in lunulæ formam radiantes, quas elati genii inter encarpos, reſteſque pomorum, ac fructuum egregiè depicti, auroque interlucente venuſti, interjectis pulchrè floribus, adornabant.

Inſignia Regis Catholici.

Inſignia M. Ducis Etruriæ.

Ampliſſimam Theatri molem Cœlum aureum ſtellis nitidum, apibuſq; diſtinctum obumbrabat: & coronam operi, ſeu coronidem, imponere videbatur.

Semicirculari verò figurâ erecta ex utroque latere tabulata Theatro imminebant, aulęis ſericis adornata, ligneis craticulis auro ſplendentibus permunita: quorum frontem ſupernè ambiebat faſcia latitudinis bipalmâris, holoſerico, auroque contexta, opere phrygio ſummâ arte elaborata. Hæc viris, ac fœminis principibus ad indè commodè ſpectandum ſacras Canonizationis cæremonias fuerunt aſſignata. Alia his ſimilia, pretii quamquàm minoris paratu veſtita, inferiores cingebant hemiſphęrii pilas, Confeſſioni Apoſtolorum obverſas, in modicam altitudinem elata, ligneis munita turriculis, idoneis fulta columnis, & multiplici pluteorum interjectu diſtincta; undè libero, unoque viſu, oculi ſacris adſtantium omnia commodè metirentur.

Ad Theatrum undequaque cancellis clauſum, & circumſeptum duplex dabatur aditus, quem militaris Helvetiorum cuſtodia muniebat; ſub imperio tamen Excellentiſſimi D. D. Caroli de Comitibus Ducis Poli, Sacri Hoſpitii Magiſtri: quam dignitatem nobiliſſimæ Comitum Familiæ competere à tempore, quod hominum memoriam excêdit, clariùs eſt, quàm ut probatione indigeat.

Ex Cæremoniali Rom. lib. 3. tit. 2. c. 2.

Pluribus rem deſcribere ſuperſedeo, cujus eximiam pulchritudinem, cum religioſâ majeſtate conjunctam, is ſolùm concipere animo poteſt, qui oculis antè ſubjecit.

Solemnitas Canonizationis.

Igitur cùm omnia jam expedita eſſent, & præparata, felix tandem, fauſtaque Orbi Chriſtiano illuxit dies, omnium votis expetita, Dominica in

Albis

Albis XXVIII. Aprilis, tantæ celebritati deſtinata. Horâ diei duodecimâ (Italico more numerando) in Capellam Sixtinam convenerunt DD. Cardinales, Epiſcopi, Pœnitentiarii Baſilicæ Vaticanæ, & cæteri, quibus competit Canonizationis ſolemniis intereſſe; hac tamen veſtium ſacrarum diſtinctione: Cardinales Epiſcopi cum pluvialibus: Cardinales Presbyteri cum planetis: Cardinales Diaconi cum dalmaticis; Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi cum pluvialibus, & mitris; Pœnitentiarii planetis albis: reliqui Prælati rochettis, & ſuperpelliceis erant induti, exceptis Gubernatore Vrbis, Oratore Lucenſi Eccleſiaſtico, (quem Sanctiſſimus Protonotarii Honorarii dignitate, durante Legatione, honeſtavit) Theſaurario Cameræ, Protonotarijs, & Officialibus iis adjunctis, qui cappis ornati erant. Duo ſeculares Oratores Lucenſes contextis ex holoſerico villoſo violaceo togis: Conſervatores Vrbis aureis amicti conſiſtebant. Officiales Capellæ Pontificiæ, & Papæ familiares rubeas habebant veſtes: Advocati Conſiſtoriales violaceas: Capellani Papæ, & Honorarii, Intimique Pontificiæ Aulæ Cubicularii rubeas, caputiis de more inverſis. *Anno 1669.* *Veſtes ſacræ in Canonizatione.*

Præſtituto tempore Summus Pontifex ad Sacrarium Capellæ Sixti IV. deſcendit: quò DD. Cardinalis Vrſinus, Prior Præsbyterorum, Cardinalis Haſſiæ, & Cardinalis Carolus Barberinus Diaconi, tres Auditores Rotæ, nempè Decanus ad mitram, & duo juniores ad veſtis Pontificiæ fimbrias, ne terram contingerent, ſuſtinendas, paulò antè conve-

nerant. Ibi Sanctiſſimus ſacras, & novas induit veſtes, multo diſtinctas auro, & ad hanc celebritatem de induſtriâ comparatas: nempè faldam, amictum, albam, cingulum, ſtolam, & pluviale magnum, ſeu, ut vocant, mantum Pontificium: & tiarâ redimitus, thus immiſit in thuribulum, miniſtrante naviculam Cardinale Vrſino; mox anteriores veſtis fimbrias duobus Auditoribus Rotæ, poſteriores verò tùm veſtis, tùm pluvialis Oratore Venetorum, ſuſtinentibus, pedès ad Capellam Sixti proceſſit inter prædictos Cardinales Diaconos: præferente Crucem D. Emerix Rotæ Auditore, Subdiacono Apoſtolico, poſt Votantes (ſic appellant) Signaturæ Iuſtitiæ, Acolythos; videlicèt poſt Acolythum thuriferarium, & ſeptem alios cũ candelabris.

Auditores Rotæ Subdiaconi Votantes Signat. Acolyti quo modo creati.

Quâ verò ratione Votantibus Signaturæ, & Rotæ Auditoribus id muneris demandatum fuerit; quamvìs mei non ſit inſtituti referre; paucis tamen hîc præſtringere operæ pretium duxi. Scitu enim injucundum, & à propoſito alienum id paucis proſequi, nequaquàm arbitror; cùm Pontificiæ Capellæ majeſtatem in primìs deceat; cujus ego ordinem, rituſque, cùm idonea ſe dat occaſio, deſcribo.

Abuſus inductus in Capella Pontificia.

Alexander VII. ſan. memor. initio Pontificatûs, prudentiſſimè advertit, multùm decedere de priſtino ſplendore, ac majeſtate Pontificiorum Sacrorum, niſi radicitùs evelleretur abuſus, qui non ſine gravi piorum offenſione, & Eccleſiaſtici decôris deminutione paulatìm irrepſerat in Capellam: admittendo ſcilicèt ad Pontificii Altaris miniſteria,

abſ-

abſque ullo delectu, nonnullos etiam, qui obſcuro licèt, & humili loco nati eſſent, illa tamen ambire, & ſoluto ritè pretio coëmere auſi fuerant. Igitur nobilitandæ Capellæ, & priſtino decôri reſtituendæ ſtudio ductus, hominibus illis, qui coemptorum reddituum titulo, ac jure nixi, ſolemnioribus Capellis intereſſe conſueverant inter Rotæ Auditores, Abbreviatores literarum Apoſtolicarum, cæteroſque Romanæ Curiæ Prælatos, ac Miniſtros (quorum pro loci amplitudine, & dignitate magnus eſt numerus) pretium optimâ fide reſtituit, & ſtipendiorum, reddituumque onera in perpetuum ſubſtulit: eorumque Collegia ſuppreſſit, & penitùs extinxit. Illorum autem loco, præcipuos Vrbis Proceres, ac viros in Aulâ Romanâ, dignitate, & honoribus præcellentes, ad Pontificii Altaris obeunda miniſteria delêgit; qui ſatis amplum, ac condignum tam honorificæ operæ pretium eſſe ipſam ejus exhibendæ celſitudinem exiſtimarent. Itaque Rotæ Auditoribus à primæva inſtitutione Pontificiis Capellanis, (ampliſſimum horum Collegium quâ polleat dignitate, & auctoritate, nemo eſt qui neſciat) veſtem violaceam, & cingulum pilei ejuſdem coloris deferendi jus attribuit, ac ut in poſterùm Subdiaconorum Apoſtolicorum munus gererent, & locum obtinerent, ſancivit. Votantes quoq: Signaturæ Iuſtitiæ, quorum poteſtas in Romanâ Curiâ magna eſt, Capellæ miniſterio addixit, & Acolythorum officio inſignivit; edito, ac obſignato ſuper his diplomate ſequentis tenoris.

Alexand. VII. cõſilium de nobilitanda Capella.

Auditores Rotæ Subdiac. Apoſtol. creãtur.

Votantes Sign. Iuſtitiæ Acolythi Apoſt. creantur.

ALE-

Breve super Officijs Subdiaconorũ, et Acolythorũ Apost.

Ad perpetuam rei memoriam. Nuper certis ex cauſis tunc expreſſis omnia, & ſingula officia Subdiaconorum, & Acolythorum Apoſtolicorum nuncupatorum ſuppreſſimus, & abolevimus unà cum eorum Collegijs, juribus prærogativis, & emolumentis quibuſcumque, ac ſingulorum Subdiaconorum, & Acolythorum prædictorum nominatim enumeratorum titulis, & conceſſionibus, ita ut ex tunc in poſterum ſingula Collegia præfata extincta penitùs eſſent, & ceſſarent omninò, neque ſinguli, ut præfertur, enumerati, Subdiaconi, & Acolythi appellari, ſeù denominari, aut nuncupari poſſent; & aliàs prout in Cedulâ Motûs proprii noſtri deſuper manu noſtrâ ſignatâ, cujus tenorem præſentibus pro plenè, & ſufficientèr expreſſo, & verbatim inſerto haberi volumus, uberiùs continetur. Quamobrem ne propter ſuppreſſionem, & abolitionem hujuſmodi Nos, & Romani Pontifices Succeſſores noſtri neceſſario Subdiaconorum, & Acolythorum miniſterio in ſolemni Miſſarum, & aliorum divinorum Officiorum celebratione, cæteriſque functionibus Eccleſiaſticis careamus, pro noſtrâ paſtorali curâ providêre volentes, Motu proprio, ac ex certâ ſcientiâ, ac maturâ deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, dilectos filios Capellanos noſtros cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores nunc, & deinceps perpetuis futuris temporibus exiſtentes Subdiaconos

Apo-

Apoſtolicos ; nec-non dilectos etiam filios utriuſq; Signaturæ noſtræ Referendarios, qui nunc ſunt, & pro tempore quandocumq; erunt noſtræ Signaturæ Iuſtitiæ Votantes, Acolythos Apoſtolicos tenore præſentium, facimus, creamus, conſtituimus, & declaramus, ipſumq; prædictorum Auditorum Collegiũ, nec-non præfatos Signaturæ Iuſtitiæ Votantes in locum Subdiaconorum, & Acolythorum per Nos, ut præmittitur, ſuppreſſorum, & abolitorum reſpectivè cum eodem omninò honore aſſiſtendi, & inſerviendi Nobis, & Romano Pontifici pro tempore exiſtenti, tàm in Capellâ noſtrâ, quàm in aliis, in quibus Nobis, & Romano Pontifice pro tempore exiſtente, præſentibus divina celebrabuntur officia, Eccleſiis, nec-non proceſſionibus, cæteriſque functionibus Pontificiis, ad quod dicti Subdiaconi, & Acolythi ratione ſuorum officiorum antè illorum ſuppreſſionem, & extinctionem, ut præfertur, factas, quomodolibèt tenebantur, & obligati erant, & cum omnibus, & ſingulis honoribus, prærogativis, præcedentiis, & præeminentiis, quæ de jure, aut ex Conſtitutionibus, & Indultis Apoſtolicis, vel ex uſu, & conſuetudine, & aliàs quomodocumque Subdiaconis, & Acolythis Apoſtolicis, ut præmittitur, ſuppreſſis, & abolitis, illorumque Collegiis antè ſuppreſſionem, & abolitionem hujuſmodi competebant, exceptis tamen quibuſvis redditibus, & emolumentis temporalibus ipſis Subdiaconis, & Acolythis, illorumque Collegiis olim aſſignatis, & antè eaſdem ſuppreſſionem, & abolitionem illis

lis debitis, & per eos percipi ſolitis, quæ Cameræ noſtræ Apoſtolicæ per Nos jam applicata, & incorporata ſunt, motu, ſcientiâ, deliberatione, ac poteſtatis plenitudine, & tenôre paribus ſubſtituimus, & ſubrogamus. Ac inſuper præfatis Auditoribus, & eorum ſingulis nunc, & in futurum quandòcumq; exiſtentibus pro majori miniſterii eis per præſentes injuncti decôre, ac ſuarum perſonarum ornamento, ut deinceps veſtem interiorem, quæ ſubtanea, nec-non aliam exteriorem, quæ mantellettum vulgò nuncupantur, violacei coloris, ac etiam galeri redimiculum, *cordone* vulgò dictum ejuſdem coloris violacei, ubique deferant, præcipimus, & mandamus. Injungentes propterea dilectis pariter filijs cæremoniarum ejuſdem Capellæ Magiſtris, ut eoſdem Auditores ad Subdiaconorum, & Votantes præfatæ Signaturæ Iuſtitiæ ad Acolythorum reſpectivè officia in Capellâ, aliiſque Eccleſiis, ac proceſsionibus, cæteriſque actibus, & functionibus præfatis cum aſsignatione loci congrui, ut moris eſt, exercenda admittant, ac decernentes eaſdem præſentes literas etiam ex eo, quòd quicumque etiam ſpeciali expreſsione digni in præmiſsis intereſſe habentes, ſeù habere quomodòlibet prætendentes ad ea vocati, & auditi, ſeù cauſæ, propter quas ipſæ præſentes emanarunt, adductæ, verificatæ, aut juſtificatæ non fuerint, aut ex aliâ quâcumque causâ, colore, prætextu, & capite etiam in corpore Iuris clauſo, etiam enormis, enormiſsimæ, & totalis læſionis, nullo unquàm tempo-

Veſtem, & cingulum pilei violacei color. concedit.

re

re de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeù intentionis noſtræ, & intereſſe habentium conſensûs, & alio quolibet quantùmvis magno, ſubſtantiali, & inexcogitabili defectu notari, impugnari, invalidari, in controverſiam revocari, ad terminos Iuris reduci, aut adversùs illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, vel aliud quodcumque Iuris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, aut etiam motu ſimili conceſſo quempiam in Iudicio, vel extra illud uti, ſeu ſe juvare poſſe, neq; eaſdem præſentes ſub quibuſvis ſimilium, vel diſsimilium gratiarum, & voluntatum revocationibus, ſuſpenſionibus, & aliis contrariis diſpoſitionibus comprehendi, aut comprehenſas cenſeri, ſed ab illis ſemper exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & validiſsimum ſtatum reſtitutas repoſitas, & plenariè reintegratas, ac etiam ſub poſteriori datâ per eos, ad quos pro tempore ſpectabit, reſpectivè eligendâ, de novo conceſſas, firmaſque, validas, & efficaces perpetuò exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere; ſicque, & non aliter in præmiſsis per quoſcumque Iudices ordinarios, & Delegatos, etiam S.R.E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & alios quoſlibèt quâvis auctoritate, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublatâ eis, & eorum cuilibet quâvis alitèr judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecùs ſuper his à quoquam quâvis auctoritate ſcientèr vel ignorantèr contige-

rit attentari. Non obſtantibus omnibus, & ſingulis, quæ in prædictâ Cedulâ Motûs proprii voluimus non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die XXVI. Octobris M DC LV. Pontificatûs noſtri Anno Primo.

G. Gualterius.

Canonici Patriarchaliũ aſſiſtentes celebranti in Capella.

Quò autem ſuus Romanis cæremoniis nitor, ac dignitas pleniùs reſtitueretur, & Capellæ Pontificiæ amplitudini, atque ſplendôri meliùs conſultum foret, ſtatuit, ut in poſterum Cardinali, ſeù Antiſtiti in eâdem Capellâ ſacra facienti trium Patriarchalium Eccleſiarum Canonici munere Aſsiſtentium præſtò eſſent; nempè ut Canonicus Baſilicæ Lateranenſis officio, ac munere Presbyteri: Canonicus Baſilicæ Vaticanæ, Diaconi: S. Mariæ Majoris, Subdiaconi miniſterio fungerentur. Sancivit inſuper, ut unumquodque ex harum Baſilicarum Capitulis jus haberet eligendi per ſuffragia Canonicos ſex, è quorum numero Summus ipſe Pontifex unum pro ſingulis Baſilicis deſignaret ad prædicta munera obeunda; quos, ad majus eorumdem decus, & ornamentum, uſu violacei coloris, locoque inter utriuſque Signaturæ Referendarios, ac Prælatos Pontificis pro tempore domeſticos, honeſtavit.

Clerici Cam. in Capellam revocati.

Clericos quoque Cameræ Apoſtolicæ Præſidentes ad aſſiſtentiam in eâdem Capellâ præſtandam revocavit, cæteroſque Miniſtros inſtituit, & creavit, literis in formâ Brevis obſignatis. Quarum

rum exemplaria referre ſupervacaneum duximus; unum tamen hîc apponere voluimus, ex quo facilè erit de cæteris conjecturam facere.

ALEXANDER PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam. Aliàs Nos, qui decôrem Domûs Dei, ex quo in ſortem Domini vocati fuimus, unicè ſemper dileximus, ut divinorum officiorum in Capellâ noſtrâ Pontificiâ celebrandorum, functionumque Pontificiarum dignitati, & ſplendôri conſuleremus, dilectos filios Capellanos noſtros cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores Subdiaconos Apoſtolicos primo loco conſtituimus; dilectos verò pariter filios Cameræ noſtræ Apoſtolicæ Clericos Præſidentes ad aſſiſtentiam, & miniſterium in Capellâ, & functionibus Pontificiis prædictis revocavimus, & reſtituimus; nec non dilectos itidem filios utriuſque Signaturæ noſtræ Referendarios Votantes Acolythos Apoſtolicos, ſuppreſſis, & amotis aliis Subdiaconis, & Acolythis Apoſtolicis, quorum officia erant venalia, creavimus, & conſtituimus. Ac Presbyteri aſſiſtentis, Diaconique, & Subdiaconi Venerabilibus fratribus noſtris S.R.E Cardinalibus, ſeù Prælatis aſſiſtentibus miſſas ſolemnes in eâdem Capellâ celebrantibus miniſtrantium officia per aliquos ex Canonicis Eccleſiæ Sancti Ioannis Lateranenſis, ac Baſilicæ Principis Apoſtolorum, & Eccleſiæ Sanctæ Mariæ Majoris de Vrbe reſpectivè pergi debere ſtatuimus, dictoſque Canonicos in utrâque Signaturâ

Ad Capellæ miniſterium vocati.

Auditores Rotæ.

Clerici Cameræ.

Votantes Signat.

Canonici Patriarchalium Presbyter Diaconus & ſubd. Capellæ.

turâ noſtrâ Referendarios creavimus. Nunc autem ut miniſteria Clericorum Ceroferariorum, quæ in Capellâ, & functionibus Pontificiis hujuſmodi inconcinnè, & imperitè antè-hac à perſonis, prout caſus tulit, ſine delectu adſumptis peracta fuiſſe cognovimus, in poſterùm decentèr, & accuratè, ut par eſt, obeantur, pro curâ noſtrâ paſtorali providere cupientes. Motu proprio, ac ex certâ ſcientiâ, & maturâ deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine quatuor officia Clericorum Ceroferariorum Capellæ Pontificiæ prædictæ totidem Clericis idoneis, qui vitæ, & morum honeſtate præditi, ac in vigeſimo ſaltem eorum ætatis anno, & in quatuor minoribus ordinibus conſtituti ſint, & non ſolùm ea, quæ à dilectis etiam filiis cæremoniarum ejuſdem Capellę Magiſtris in Capellâ, & functionibus Pontificiis hujuſmodi eis reſpectivè injungentur, peragere, ſed etiam Nobis, & Romanis Pontificibus ſucceſſoribus noſtris pro tempore exiſtentibus ſervitiùm Auxiliatorum Buſſolæ, qui *Buſſolantes* vulgò vocantur, exhibere teneantur, à Nobis, & iiſdem Succeſſoribus noſtris Romanis Pontificibus dumtaxat per literas Apoſtolicas in ſimili formâ Brevis ad ipſorum Clericorum vitam quoties illa tam à primævâ eorum erectione, quàm poſteà quandòcumque, ac ubicumque, & quovis modo vacare contigerit, conferenda, tenore præſentium perpetuò erigimus, & inſtituimus. Ac ipſos Clericos Ceroferarios officia à Nobis per eaſdem præſentes erecta hujuſmodi pro tempore obtinen-

Buſſolantes creantur Ceroferarij Capellæ.

tinentes, & eorum singulos auxiliatores Bussolæ prædictæ, sivè Bussolantes cum provisione, juribus, salariis obventionibus, regaliis, xeniis, & emolumentis quibuslibèt ordinariis, & extraordinarijs, quocumque nomine nuncupatis, quæ ab aliis auxiliatoribus Bussolæ, sive Bussolantibus percipi solent, & possunt, ac poterunt quomodolibèt in futurum, ità quòd iidem Clerici Ceroferarii illam, & illa pariformitèr, & æqualitèr cum cæteris Bussolantibus prædictis percipere possint, & debeant, motu, scientia, deliberatione, potestatis plenitudine, & tenore prædictis, creamus, & constituimus, illosque aliorum Auxiliatorum Bussolæ hujusmodi numero ad eorum vitam respectivè favorabilitèr aggregamus. Mandantes, &c. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris Die X. Iunii M DC LVII. Pontificatûs nostri Anno Tertio.

G. Gualterius.

Subsequentes clausulas generales in Brevi contentas ex industriâ omittimus, ne pluribus fatigemus Lectorem, nosque longiùs, quàm par est, à nostri operis instituto excurrere videamur. Actorum itaque narrationem resumamus.

Cerei distribuuntur in Capella.

Dum Pontifex in Sacrario moraretur, paratas sibi induendo vestes; Magistri Cæremoniarum singulis Cardinalibus, Episcopis, & cæteris, qui in prædictâ Sixti Capellâ Sanctissimum præstolabantur, candidos cereos distribuêrunt: ità ut, cùm San-

ctis-

ctiſſimus in Capellam ingreſſus eſſet, omnes cerei eſſent accenſi. Vbi Sanctitas Sua, flexis antè aram genibus ſine tiarâ, paululùm oravit, ſurrexit, & allatis ab Aſſiſtentibus Patriarchis, nempè Conſtantinopolitano, & Antiocheno, libro, & candelâ, aſſiſtente paritèr Cardinale Barberino Decano, ſtans cecinit verſiculum Hymni *Ave maris Stella*: quem Cantores Capellæ Pontificiæ proſecuti ſunt. Dumque tres ſequentes hymni verſiculos canerent, Pontifex in genua provolutus orabat: illis verò abſolutis, ſurgens mitram reſumpſit, & ſellam geſtatoriam conſcendit. Mox recto ordine, ſummo ſilentio, & pietate pari, ſolemnis ſupplicatio ad Baſilicam Vaticanam inſtitui cœpit, in quâ bini ac bini, cereos præ manibus tenentes accenſos, incedebant.

Cardin. Roſpigl. Procurator Canonizationis offert cereos.

Sanctiſſimo interim in ſede exiſtenti Eminentiſſimus D. Cardinalis Roſpiglioſius à Majeſtate Cæſareâ, & Catholicâ ad inſtandum pro Canonizatione Beatorum, ut ſuprà diximus, deſignatus, tres cereos variis ex auro floſculis, ramiſque turgentibus ornatos, ſupplex obtulit, & ad ſingulorum oblationem manum Pontificis, genuque oſculatus eſt. Illorum alter effigie B. PETRI, ac inſignibus Summi Pontificis, & Catholicæ Maieſtatis; alter effigie B. MARIAE MAGDALENAE, nec non ſtemmate Pontificio, & Cæſareo decôratus erat. Quos Sanctitas Sua tradi juſſit Oratoribus Venetorum, & Lucenſium in publicâ ſupplicatione portandos. Minorem ſibi retinuit, ac ſiniſtrâ manu in eâdem ſupplicatione detulit: dexteram ad populo benedi-

cen-

cendum liberam, & expéditam reliquit. His peractis, Sanctiſſimus ſellâ eminens geſtatoriâ, ſub pretiosâ umbellâ, quam Signaturæ Referendarii, rochettis, & ſuperpelliceis induti, oblongis contis ſuſtinebant ſibi invicem ſuccedentes, ab Aulâ Regiâ exivit, & ad dextram flectens, per ſcalam proximam, cæruleo, & vitreo tecto ſtellulis interlito conſpicuam, ad majorem Palatii portam contendit, quæ in forum maximum ducit, Baſilicæ Vaticanæ obverſum.

Supplicatio univerſi Cleri.

Hîc univerſus Vrbis Clerus ſuperpelliceis indutus: omneſque Religioſorum hominum familiæ, accenſos cereos præ manibus tenentes, Pontificem opperiebantur. Hæc autem ſpecies, & ordo ſolemnis erat proceſſionis.

Ordo proceſſionis.

Primùm ſupplicantes bini, ac bini accenſis cereis procedebant, ac prout exibant à palatii portâ, ab eâdem incipiendo, & longam hinc-indè ſeriem texendo, & alii aliis, ſervato antiquitatis ordine, & dignitatis jure, ſuccedendo, ad atrium uſque Baſilicæ, duas ab utroque latere efformando alas, protendebantur, & ſubſiſtebant, ſuis diſtincti Crucibus, & inſignibus Collegiatarum; ità ut juniores Cleri, & inferiores, Palatii portæ viciniores manêrent, à Baſilicæ verò atrio remotiores; antiquiores è contrà, & digniores, Baſilicæ magis vicini, à Palatio magis diſtantes eſſent. Pedeſtris militum acies, elegantibus inſtructa armis, circumfuſa, viam, quà ſolemnis ſupplicatio inceſſura erat, ad Baſilicam uſque Vaticanam muniebat.

In

In Porticu, ejuſdem Baſilicæ Capitulum: intrà Baſilicam inſigniorum Vrbis Eccleſiarum Collegiatarum, nempè S. Mariæ Tranſtyberim, & Sancti Laurentii in Damaſo; deindè Patriarchalium Baſilicarum; idèſt, S. Ioannis in Laterano, & Sanctæ Mariæ Majoris, Canonici aderant.

Igitur inter ſtantem in foro Clerum, religiosâ hujuſmodi pompâ quaſi ſacrum triumphum repreſentante, gravitèr, ac lentè procedebant, & obeliſcum versùs eundo, indè ad dexteram flectendo, rectà ad Baſilicam pergebant Officiales Capellæ Pontificiæ, & familiares Papæ: Advocati Conſiſtoriales: Capellani Pontificis: Honorarii, Intimique Cubicularii.

Vexilla in ſupplicatione.

Duo poſteà vexilla quadra, auro multo, argentoque diſtincta ſequebantur, haſtis prælongis erecta, expanſaque, in quibus à magni nominis Pictoribus ad vivum expreſſæ Beatorum PETRI, & MARIAE MAGDALENAE imagines ſpectabantur, quæ omnium ad ſe oculos, animoſque trahebant. Primum, B. MARIAE MAGDALENAE effigie inſigne, portabat P. Andreas Lao Procurator, & Vicarius Generalis Carmelitarum, cum aliis quinque primariis ejuſdem Ordinis Sacerdotibus; ſecundum verò B. PETRI P. Evangeliſta Pazzago Franciſcanæ familiæ Commiſſarius Generalis, cum aliis ſimiliter quinque dignioribus Fratribus Franciſcanis. Capellæ Pontificiæ Muſici ante ipſa ibant vexilla, ſuprà memoratum Hymnum *Ave maris Stella*: modulatis vocibus concinentes.

Iuſto

Iuſto poſteà intervallo ſuccedebant utriuſque Signaturæ Referendarii: Subdiaconus, Diaconus, & Presbyter Aſſiſtens Capellæ Pontificiæ: Abbreviatores: Votantes Signaturæ Iuſtitiæ Acolythi: Clerici Cameræ: & Auditores Rotæ, Subdiaconi Apoſtolici. Eminebat inter ſeptem poſtremos Acolythos, cereos accenſos in argenteis candelabris ferentes, Crux Pontificia. Mox Patres Pœnitentiarii Baſilicæ S. Petri: Abbates deindè inſignibus Pontificalibus utentes: Epiſcopi: Archiepiſcopi: & Præſules omnes, Papæ Aſſiſtentes; tùm Cardinales Diaconi: Presbyteri Cardinales: & Cardinales Epiſcopi, longo, ſed pulchro, & majeſtatis pleno, ordine ſequebantur. Veniebant poſteà Orator Bononiæ: Almæ Vrbis Conſervatores: Principes Solii: & Gubernator Vrbis; propè Pontificem prædicti Cardinales Diaconi aſſiſtentes: duo Auditores Rotæ: & duo Oratores, prægrandes cereos geſtantes. Sacram claudebat, & coronabat pompam Sanctiſſimus ipſe, ſede (uti diximus) ſublimi conſpicuus, & umbellâ tectus; poſt Pontificem inter duos illius Cubicularios aſſiſtentes, Rotæ Decanus incedebat, mitram Papæ ſuſcepturus. Extremam ſupplicationis partem cogebant, terminabantque Orator Lucenſis, Protonotarius, ut ſupra retulimus, Honorarius: Theſaurarius Cameræ Apoſtolicæ: Protonotarii: & Generales, ac Procutores generales Ordinum Regularium.

Cùm Pontifex in Baſilicam perveniſſet, ad aram Sanctiſſimi Sacramenti in genua provolutus oravit;

factoque orandi fine, ad aram templi principem eminenti sede delatus fuit.

Regina Svec. supplicationē spectat.

Advenerat jam Sereniſſima Chriſtina Alexandra Svecorum Regina, quæ è feneſtrâ ſuperioris porticûs (benedictionis vulgò appellant) majori Baſilicæ portæ imminentis, incedentium ſupplicationem, non ſine pietatis ſenſu, ſpectaverat: ubi Summum Pontificem vidit ſublimi in ſede ferri, & ad medium jam forum pervenire, in Sanctiſſimæ Trinitatis ſacellum, quod alio nomine Sacramenti dicitur, deſcendit; illam comitante cum Excellentiſſimo D. Thomâ Roſpiglioſio Sanctiſſimi D. N. Nepote, Reverendiſs. D. Roccio Damaſci Archiepiſcopo, Pontificii Palatii Præfecto: indèque duodecim Helvetijs Pontificiæ cuſtodiæ militibus, & duobus ejuſdem Officialibus, quatuor item Mazzeriis cum argenteis clavis, in ſignum honoris ſuper brachia rejectis, ſtipata, intra ſepta Theatri ſe recepit, ac eminenti ſuper congeſta tabulata thalamo ſibi parato, pretioſis, ut diximus, operto ſtromatis, conſedit.

Regina in thalamo conſedit.

Cardinales in ipſo Theatri aditu Reginam ſalutabant; illa innatâ majeſtate, & comitate, è ſellâ aſſurgens, ſalutantes officiosè reſalutabat; cum autem Sanctiſſimus eò perveniſſet, relictâ protinùs ſellâ, ad imum, & ſubjectum thalami gradibus pavimentum, non ſine magnâ religionis ſignificatione, & adſtantium exemplo, deſcendit; ibique complicatis ante pectus brachiis, oculiſque ad modeſtiam compoſitis, prætereuntem Pontificem, ſeu Chriſti in

terris

terris Vicarium ſupplicitèr venerata eſt; illiuſque benedictione perceptâ, ad ſuum ſe locum, ſellamque recepit. Pontifex verò ad aram maximam, proceſſit, ubi genu-flexus ſuper faldiſtorium pauliſpèr oravit; deindè iterùm Reginæ, & Cardinalibus benedixit, ac paratum ſibi in medio, & eminentiori Theatri loco ſolium conſcendit.

Verùm quià Lectoribus piis, & curioſis non erit ingratum, omnem ſeſſionis ordinem, ac diſtinctionem in Capellâ reſcire, illum propterea hîc apponere, ac deſcribere officii mei eſſe duxi. Cardinales, Epiſcopi, Pœnitentiarii, & Protonotarij ſuis quique ſedilibus, ut ſuprà retulimus: Cardinales verò Diaconi aſſiſtentes, ad dextrum, & ſiniſtrum latus Pontificis, conſedêrunt. D. Pompejo Vareſio Vrbis Gubernatori, & Vice-Camerario: D. Fabio Guiniſio Priori S. Ioannis, & Lucenſis Reipublicæ Oratori: ac Bonaccurſio de Bonaccurſiis Cameræ Apoſtolicæ Theſaurario Generali, ſuprà Protonotarios locus eſt aſſignatus. In areâ Solii, propè Cardinales Diaconos, ſtabant novem ſuprà decem Antiſtites Sanctiſſimo Aſſiſtentes: in gradibus, iuxtà thronum hinc indè diſpoſiti Principes Solii, nempè Orator Venetus Antonius Grimanus: Bartholomæus Franciottus, & Raphael Manſius, Oratores Lucenſium: Camillus Roſpiglioſius, Sanctiſſimi D. N. germanus frater: Fr. Vincentius: Thomas: & Io: Baptiſta, Sanctitatis Suæ ex prædicto Camillo germano fratre nepotes: nec-non Comeſtabilis Laurentius Columna, Dux Palliani. Per gradus à

Ordo ſedendi in Capella.

fronte Solii, hinc Auditores Rotæ, cum P. Magistro Sacri Palatii Hyacintho Libello: indè Clerici Cameræ Apostolicæ. A' dexterâ parte in imis gradibus stabant Conservatores Vrbis, scilicèt Aurelius Ciognius, Mutius Marerius, Eq. Silvius Allius, & Tranquillus Columna Prior. Idoneus quoque datus est locus Oratori Bononiæ Iosepho Paleotto infrà sedilia, Episcopis, & Pœnitentiariis assignata. Super gradus, quibus, ut diximus, ad Theatri aream dabatur ascensus, varii Romanæ Aulæ Prælati, servato inter se antiquitatis, & dignitatis jure, sedebant, nempè Votantes Signaturæ Iustitiæ: Abbreviatores: Referendarii: Cubicularii Secreti, & Honorarii: Sacri Consistorii Advocati: & Capellæ Pontificiæ Officiales.

Cæterùm, quià augustissima hæc Summi Pontificis, & amplissima Sacrosancti Consessûs majestas omnem superat dicendi, ac scribendi facultatem; non erit abs re, totius theatri faciem, speciemque, seù speculum antè oculos proponere, ut in eo, unico velut intuitu, concipere possit animus quidquid oratione comprehendere non potest, vel ob styli inelegantiam, vel ob imperitiam Scriptoris.

Itaque

Theatri · Ichnographia.

1 Summus Pontifex.
2 Card. Episcopus Assistens.
3 Card. Diaconi Assistentes
4 Cardinales
5 Regina Suecia
6. Episcopi Assistentes.
7 Episcopi non Assistentes et Abbates
8 PP. Protonotary
9 Oratores, et Principes Sobj.
10 Protonotary
11 Conservatores.
12 Orator Bimarus.
13 Magister Sacri Hospitij
14 Auditores Rotæ Subdiaconi
15 Clerici Camerę
16 Votantes Signaturę
17 Abbreuiatores
18. Referendary Virusq. Signaturę
19. Cubicularij Secreti
20 Cubicularij honoris
21 Cappellani Secreti, et Communes.

22 Advocati Consistoriales
23 Scuffieri
24 Guidatory
25 Vexillarium Papæ
26. Sedis Decani et Diaconi Euangelij Papa celebrante
27 Faldistorium Papæ.
28. Faldistorium Card. Epi celebrantis. Papa non celebrante
29. Legis Euangelij Papa celebrante.
30 Locus cantandę Epistolę Papa celebrante.
31. Abacus oblationum Sancti Petri
32. Abacus oblationum Sanctę Mariæ Magdalenę
33. Abacus Calicis &c.
34 Abacus Credentiæ Papæ.
35 Statua Prudentiæ.
36. Statua Temperantiæ
37. Hispania cum Insignijs Regis Catholici.
38. Etruria, cum Insignijs Magni Ducis.
39. Chorus Cantorum
40. Nobiles, feminæ
41. Nobiles Viri

Theatri Prospectus.

Itàque Summus Pontifex, hac magnificentiſſimâ ſacræ pompæ ſpecie, & dignitate, ab ipſo ſtatìm Baſilicæ ingreſſu, intuentium, & admirantium oculis objectâ, editiori eminens loco, triginta-ſeptem Cardinalium, ſexaginta, & amplius Antiſtitum, ac innumerorum ferè ex Romanâ Curiâ Præſulum frequentiſſimâ, & ampliſſimâ coronâ cinctus, delatum ſibi conſueto ritu excêpit obedientiæ obſequium: à Cardinalibus oſculo manûs: ab Epiſcopis oſculo genu: à Pœnitentiariis oſculo pedis.

Numerus Card. & Epiſcoporũ in Canonizat.

Poſtquàm Cardinalium antiquior Barberinus, Sacri Collegii Decanus, obedientiam præſtitit, à D. Caſalio Diacono, Baſilicæ Principis Apoſtolorum: D. Muti Subdiacono, Baſilicæ Liberianæ: Presbyteri munus obeunte D. Antaldo, Baſilicæ Conſtantinianæ, Canonicis, dalmaticâ, tunicellâ, & pluviali reſpectivè indutis, ab infimo Solii gradu ad faldiſtorium in cornu Epiſtolæ poſitum deductus eſt; ibique manus primùm lavit: deindè ſacras, pretioſas, & ad hunc ſolemnem diem paratas, induit veſtes.

Cardin. Barberinus Dec. induit veſtes pro celebranda miſſa

Abſolutâ obedientiæ functione, D. Fulvius Servantius (Cæremoniarum Magiſter, ſacrorum rituum peritiſſimus) ſedente jam à dextro Solii latere Cardinale Ginetto, antiquiore poſt Cardinalem Barberinum Epiſcopo Cardinale, ad ejuſdem Solii gradus deduxit Cardinalem Roſpiglioſium, delegatum, ut ſupra diximus, ad poſtulandam Canonizationem BB. PETRI, & MARIAE MAGDALENAE. Hic ubi ad Solium pervênit, factâ priùs

Card. Roſpiglioſius Procurator ducitur ad Soliũ pro peten. Canonizat.

priùs Summo Pontifici profundâ capitis inclinatione, ſtetit medius, habens hinc indè genuflexos à latere ſiniſtro Cæremoniarum Magiſtrum, à dextro Comitem Alexandrum Caprariam Sacri Conſiſtorii Advocatum, conſuetâ veſte cum caputio indutum; qui uti erat genuflexus, Cardinalis nomine, à Suâ Sanctitate, ut eamdem Canonizationem peragere dignaretur, inſtantèr ſic poſtulavit.

BEATISSIME PATER.

Prima inſtantia

Reverendiſſimus D. Cardinalis Roſpiglioſius hîc præſens, nomine Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Leopoldi electi Imperatoris, & Majeſtatis Catholicæ Caroli Secundi Regis Hiſpaniarum, inſtantèr petit per Sanctitatem Veſtram catalogo Sanctorum Domini noſtri IESV Chriſti adſcribi, & tanquàm Sanctos ab omnibus Chryſti-fidelibus pronunciari venerandos B. PETRVM de Alcantarâ Ordinis Minorum, & B. MARIAM MAGDALENAM de Pazzis Ordinis Carmelitarum.

HIS autem Reverendiſs. D. Franciſcus Nerlius, Archiepiſcopus Florentinus, Sanctiſſimi D.N. Secretarius ab Epiſtolis ad Principes, ſtans in ſiniſtro Solii latere, his conceptis verbis ita reſpondit.

Reſponſio D. Secretarij Papæ

Edocta Redemptoris admonitionibus, ac exemplis Eccleſia, nihil arduis præſertim in rebus, inchoat, proſequitur, perficit, abſque multâ, & jugi piarum orationum Inſtantiâ. Quapropter, etiàm poſt tot alias, quà juris humani diligentias exquiſitiſ-

ſitiſſimas, quà Divinæ voluntati cùm agnoſcendæ tùm propitiandæ rationes complures adhibitas; in ipſo rei tranſigendæ limine, SS. D.N. adhuc nova inſtaurat Orationum ſubſidia. Etenìm jubet Venerabiles Fratres ſuos S. R. E. Cardinales, & univerſos huic celebritati præſentes Chriſti-fideles, humilitèr ſupplices, ac proſtratos antè Principis Apoſtolorum Confeſſionem, Phialas aureas, odoramentorum plenas, effundere in conſpectu Domini; quò beneplacitum in tam gravi negotio ſuum ex inacceſſibili luce proferre, benignè velit.

QVIBVS auditis, Cardinalis Roſpigliosius, factâ Pontifici reverentiâ, medius inter Advocatum, & Cæremoniarum Magiſtrum, ad ſuum locum reverſus eſt. Mox Sanctiſſimus, mitrâ ornatus, ſuprà ſuppoſitum à Capellæ Clericis faldiſtorium in ipsâ Solii areâ genuflexus: Regina verò ſuper binis pulvinaribus è ſerico aureo, à Marchione de Monte, Regię ipſius Aulico, ſibi ſubjectis, innixa: omneſque alii ſuis quique, prout aderant, diſpoſiti locis, in genua provoluti, ad orandum ſe compararunt. Tùm duo Cantores flexis ante ſcabellum genibus, in quo Litaniarum librum collocaverant, & poſt Cardinalem Decanum eâ die celebrantem, ſuo item faldiſtorio in genua procumbentem, versâ in theatri aream fronte, dextrâ autem contrà altare ad cornu Epiſtolæ, ſiniſtrâ verò Pontificem versùs, Litanias Sanctorum plano cantu dicere cœperunt, quas uſque ad *Agnus Dei* continuarunt. Mox Pontifex

Litaniæ SS. canuntur.

tifex ad ſuum thronum ſe recepit; & D. Cardinale Roſpiglioſio iterùm ad infimum Solii gradum, modo iam ſuperiùs relato, deducto: Comes Caprara Advocatus eiſdem prorsûs, quibus anteà diximus, cæremoniis, ſecundò inſtitit pro obtinendâ apud Sanctiſſimum BB. PETRI, & MARIAE MAGDALENAE Canonizatione, hoc modo.

BEATISSIME PATER.

Secunda inſtantia

Reverendiſſimus D. Cardinalis Roſpiglioſius hîc præſens, nomine Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Leopoldi electi Imperatoris, & Majeſtatis Catholicæ Caroli Secundi Regis Hiſpaniarum inſtantèr, & inſtantiùs petit per Sanctitatem Veſtram catalogo Sanctorum Domini Noſtri IESV Chriſti adſcribi, & tanquàm Sanctos ab omnibus Chriſti-fidelibus pronunciari venerandos BEATVM PETRVM de Alcantarâ Ordinis Minorum, & BEATAM MARIAM MAGDALENAM de Pazzis Ordinis Carmelitarum.

Ad hæc Reverendiſſimus D. Nerlius Secretarius ità reſpondit.

Reſponſum Dñi Sec. Pontificis

Stat Angelus antè Altare, habens Thuribulum aureum. Repetitis igitur juſſu SS.D.N. denuò comprecationibus danda ſunt illi incenſa multa, ut det de Orationibus Sanctorum ſuper Altare aureum, quod eſt ante Thronum Dei.

QVIBVS peractis, Cardinalis Roſpiglioſius, cum Advo-

Advocato, & Cæremoniarum Magiſtro, eò, undè venerat, revertît. Pontifex verò mitratus, è throno deſcendens, ad faldiſtorium ſuper areâ, iterùm poſitum, oraturus proceſsit. Cùmque Cardinalis Haſsiæ Diaconus, qui ſtabat à deſtro Pontificis latere, ad populum converſus, altâ voce dixiſſet: *Orate*: Cardinalis Carolus Barberinus Diaconus, qui ſtabat à ſiniſtris, Pontifici mitram detraxit; & poſtquàm Sanctitas Sua, & cæteri, qui aderant, poſitis humi genibus, preces ad Deum fuderunt, altâ paritèr voce pronunciavit: *Levate*. Tunc Pontifex, aliique omnes ſurrexerunt; allatoque à Patriarchis Aſsiſtentibus libro cum candelâ, adſtante etiam Cardinale Ginetto, utpotè antiquiore poſt Decanum Cardinale Epiſcopo, Sanctitas Sua, antè faldiſtorium, cum cantu inchoavit Hymnum: *Veni Creator Spiritus*; in genua cum cæteris procumbens ad tres ſequentes verſus. Quibus cantatis, cum reliquis ſe ſe elevans, impoſitâ ſibi mitrâ, ad Solium rediit: ac ibi depoſitâ rursùs mitrâ, ſtetit uſque ad finem Hymni; eoque abſoluto, nonnulli è Cantoribus proſecuti ſunt ℣. *Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur, Alleluja*. aliiſque reſpondentibus ℟. *Et renovabis faciem Terræ, Alleluja*. Sanctitas Sua, ſtantibus antè Solii gradus duobus Votantibus Signaturæ Iuſtitiæ Acolythis cum candelabris, & cereis accenſis, recitavit Orationem: *Deus, qui corda fidelium, &c.* redimitus poſteà mitrâ, pauliſpèr sêdit. Illicò Advocatus Capraria antè Solii gradus, genuflectens à dextris ſtantis Cardinalis Roſpigliosii,

Sum. Pontif. rursùs ad orationem

tertiò, & instantissimè à Sanctissimo postulavit, ut Canonizationem tandem peragere, & perficere dignaretur, in hunc modum.

BEATISSIME PATER:

Tertia instantia

Reverendissimus D. Cardinalis Rospiglioſius hîc præsens, nomine Sacræ Cæsareæ Majestatis Leopoldi electi Imperatoris, & Majestatis Catholicæ Caroli Secundi Regis Hispaniarum instantèr, instantiùs, & instantissimè petit per Sanctitatem Vestram catalogo Sanctorum Domini Nostri IESV Christi adscribi, & tanquàm Sanctos ab omnibus Christi-fidelibus pronunciari venerandos B. PETRVM de Alcantarâ Ordinis Minorum, & BEATAM MARIAM MAGDALENAM de Pazzis Ordinis Carmelitarum.

Et Reverendiſs. Nerlius paritèr tertiâ vice paucis hiscè verbis respondit.

Responsum Domini Secret. Papæ

Ascendit fumus incensorum de Orationibus Sanctorum, de manu Angeli coràm Deo; cujus voluntate SS. D. N. jàm intellectâ, modò referet B. PETRVM de Alcantarâ in Sanctorum Confessorum numerum, & B. MARIAM MAGDALENAM de Pazzis in Albo Sanctarum Virginum ascribet.

Itaque Summus Pontifex, assistentibus Patriarchis librum, & candelam sustinentibus, adstante quoque prædicto antiquiore Cardinale Episcopo, cum mitrâ sedens, & majorem quodammodò humanâ

manâ præferens majeſtatem, divino Spiritu afflatus, ex Cathedrâ BB. PETRVM, & MARIAM MAGDALENAM Sanctos eſſe declaravit, eoſque univerſæ Eccleſiæ colendos, & adorandos propoſuit, his verbis.

Sententia Canonizationis.

Ad honorem Sanctæ, & individuæ Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicæ, & Chriſtianæ Religionis augmentum, authoritate Domini Noſtri IESV Chriſti, Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtrâ, maturâ deliberatione præhabitâ, & divinâ ope ſæpiùs imploratâ, ac de Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in Vrbe exiſtentium conſilio, B. PETRVM Confeſſorem, & B. MARIAM MAGDALENAM Virginem, Sanctum, & Sanctam eſſe decernimus, & definîmus, & Sanctorum catalogo adſcribimus: ſtatuentes, ab Eccleſiâ univerſali, quolibet anno, memoriam Beati Petri inter Sanctos Confeſſores non Pontifices, die decimâ-octavâ Octobris: & Beatæ Mariæ Magdalenæ inter Sanctas Virgines non Martyres, die vigeſimâ-quintâ Maii, piâ devotione recoli debere. In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Amen.

Stante interìm Cardinale Roſpiglioſio antè Solii Pontificii gradus, Comes Capraria in genua provolutus, ipſius Cardinalis nomine, ſententiam Canonizationis ritè prolatam acceptavit, gratias Pon-

tifici retulit, & Apoſtolicas ſuper eâ re literas expediri ſupplicitèr ità poſtulavit.

BEATISSIME PATER.

Advocat. gratias agit Sanctiſs. pro Canonizatione.

Idem Reverendiſs. D. Cardinalis Roſpiglioſius nomine Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Leopoldi electi Imperatoris, & Catholicæ Majeſtatis Caroli Secundi Hiſpaniarum Regis acceptat pronunciationem à Sanctitate Veſtrâ factam, eidemque gratias immortales agit, & enixè ſupplicat, ut Sanctitas Veſtra ſuper Canonizatione eâdem literas Apoſtolicas dignetur decernere.

Sanctiſſimus verò, facto manu Crucis ſigno, de more benedicendo dixit: *Decernimus*. Confeſtim D. Cardinalis Roſpiglioſius Solium conſcendit, & manum, ac genu Sanctiſſimi oſculatus, Sanctitati Suæ, nomine Cæſareæ, & Catholicæ Majeſtatis, grates egit; & Advocatus Capraria ad Protonotarios circumſtantes verſus, eos rogavit, ut ſuper ſolemni hujuſmodi Canonizatione publicam, ac ſolemnem fidem facere vellent, hoc modo.

Protonotarij rogãtur pro Inſtrumẽtis Canonizationis.

Rogantur omnes Protonotarii, & Notarii hîc præſentes, ut ſuper hujuſmodi ſolemnis Canonizationis actu unum, vel plura, publicum, ſeu publica, Inſtrumentum, vel Inſtrumenta conficiant, ad perpetuam rei memoriam.

Tunc prior Protonotariorum eos, qui in areâ Solii ſtabant, hujuſmodi rei teſtes adhibuit, dicens: *Vobis teſtibus*.

His

His peractis, D. Cardinalis Roſpigliosius, & Advocatus ad ſua ſe recepêre loca. Sanctiſſimus verò, depoſitâ mitrâ, ſurrexit, ac ex aperto ſibi ab Aſſiſtentibus Patriarchis libro, accedente etiam prædicto Epiſcopo Cardinale, cecinit Hymnum: *Te Deum laudamus*: quem Muſici uſque ad finem proſecuti ſunt.

Hymnus Te Deũ canitur pro Canonizat.

Facto repentè per Cæremoniarum Magiſtrum ſigno; tubæ canere cœperunt, inflari litui, pulſari tympana; & militum acies, per totum S. Petri forum bellico more diſpoſitæ, ſemel, ac iterùm, tertiùmque diſplosêre ſclopos: excepêre, ac reddidêre totidem vicibus ſonum alæ Equitum, ſervato militari ordine, ad Circi angulos præſtolantes, armis egregiè munitæ, dejectis ab humero per tranſverſum pectus faſciis elegantes, & apertis ad liberum proſpectum galeis ſpectabiles: omnis item generis tormenta ænea, tùm in ipſo Vaticano foro, tùm in Sancti Angeli Caſtro, cum innumeris mortariis pulvere incendiario fartis, horribili ſimul ſtrepitu, plauſuque ſpectantium, tonitruum more, boatuque diſploſa, lætitiam geminarunt. Secutus mox, audituſque majoris Capitolii campanæ ſonus ad hilaritatem publicam univerſam Civitatem provocavit: omnium Eccleſiarum campanæ per integram horam feſtivè ſonuerunt: tubæ in variis Vrbis regionibus cecinerunt: alia è diverſo muſica inſtrumenta reſponſarunt; ubique plauſus, & lætitia cum religione conjuncta: lætari omnes, gratulari, ob ſolemnem Divorum Canonizationem Deo gratias agere;

Signa lætitiæ pro Canonizatione.

agere: Sanctorum PETRI, & MARIAE MAGDALENAE nomina crebrò repetere: auxilium ab illis implorare: eosque potentes in Cœlo Patronos, & in terris, mortalibus propitios tutelares, sibi deligere, & miro quodam religionis sensu illorum memorias venerari.

Absoluto per Capellæ Musicos Hymno, Diaconus Cardinalis à dextris cantauit ℣. *Orate pro nobis Beati Petre, & Maria Magdalena, Alleluja.* Choro contrà respondente: ℟. *Vt digni efficiamur promissionibus Christi, Alleluja.* Ferentibus deindè candelabra cum cereis accensis duobus Acolythis, & ad infimum Solii gradum consistentibus: nec-non allatis per Assistentes Patriarchas libro, & candelâ, Summus Pontifex eorum opem imploraturus, quos cum Deo regnare jam declaraverat, elatâ voce cecinit sequentem Orationem.

Oremus.

Orat. propria Sanctorũ Canonizatorum.

Omnipotens sempiterne Deus mirabilis in Sanctis tuis, qui Beatos PETRVM, & MARIAM MAGDALENAM Sanctorum tuorum gloriâ sublimasti: concede propitius: ut eos imitari non pigeat, quorum solemnia celebrare delectat. Per Dominum nostrum, &c.

Post Orationem D. Cardinalis Azzolinus, qui suo loco inter Cardinales Diaconos sedebat, & si Pontifex celebrasset, Evangelium recitaturus erat, Solium conscendît, stansque à sinistro Pontificis latere stantis adhuc sine mitrâ, consuetam dixit confessionem, additis tamen Sanctorum recèns Canoniza-

nizatorum nominibus, hoc modo.

Confiteor Deo omnipotenti, Beatæ Mariæ semper Virgini, Beato Michaëli Archangelo, Beato Ioanni Baptistæ, Sanctis Apostolis Petro, & Paulo, Beatis PETRO, & MARIÆ MAGDALENAE, omnibus Sanctis, & tibi Pater, quià peccavi nimis cogitatione, verbo, & opere, meâ culpâ, meâ culpâ, meâ maximâ culpâ. Ideò precor Beatam Mariam semper Virginem, Beatum Michaëlem Archangelum, Beatum Ioannem Baptistam, Sanctos Apostolos Petrum, & Paulum, Beatos PETRVM, & MARIAM MAGDALENAM, omnes Sanctos, & te Pater, orare pro me ad Dominum Deum nostrum. *Confessioni addũtur nomina Canonizatorũ.*

Quâ finitâ, à D. Emerix Auditore Rotæ, ut dictum est, Subdiacono Apostolico, elatâ antè Solii gradus Cruce, Sanctissimus solito more absolutionem, & benedictionem cum cantu impertiit, dicens.

Precibus, & meritis Beatæ Mariæ semper Virginis, Beati Michaëlis Archangeli, Beati Ioannis Baptistæ, Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, Beatorum PETRI, & MARIAE MAGDALENAE, & omnium Sanctorum; misereatur vestri omnipotens Deus, & dimissis peccatis vestris perducat vos ad vitam æternam.

Indulgentiam, absolutionem, & remissionem peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens, & misericors Dominus.

Et Benedictio Dei omnipotentis Pa✝tris, & Fi✝lii,

Fi†lii, & Spiritûs † Sancti deſcendat ſuper vos, & maneat ſemper. Choro in fine Abſolutionum, & Benedictionis reſpondente. Amen.

Itàque perfectâ Canonizationis ſolemnitate, omnes cerei extincti fuerunt. Brevi interjectâ temporis morulâ, ad imos Altaris gradus Papa deſcendît, ibique ſtans, depoſitâ mitrâ, & profundâ capitis inclinatione versùs Aram maximam factâ, cum Cardinale Barberino ſimul inchoavit confeſſionem ad Miſſæ introitum dici ſolitam; eâque finitâ, & reſumptâ mitrâ, ad Pontificalem Sedem rediit. Hîc thus injecit in thuribulum, quo paulò poſt à Cardinale Ginetto Epiſcopo Aſſiſtente thurificatus fuit; mox demptâ mitrâ, & ſtans, dixit Introitum Miſſæ de currenti Dominicâ in Albis, & cum ſibi Aſſiſtentibus Cardinalibus *Kyrie eleiſon*: (Cardinales enim ſacris veſtibus induti ad circulum non fuerunt vocati.) Stans etiam alteram Orationem de Dominicâ cantantem Cardinalem audivit, & de Sanctis recèns Canonizatis alteram: quam cum ſequentibus, Secretâ, & Poſt-Comm. D. Archiepiſcopus Tarſenſis compoſuerat.

Miſſa inchoatur de Dom. in Albis.

Cardin. ſacris veſtibus induti, non vocati ad circulum

Oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus mirabilis in Sanctis tuis, qui Beatos PETRVM, & MARIAM MAGDALENAM Sanctorum tuorum gloriâ ſublimaſti: concede propitius: ut eos imitari non pigeat, quorum ſolemnia celebramus. Per Dominum noſtrum, &c.

Orationes propriæ in Miſſa.

Secre-

Secreta.

Acceptæ ſint tibi Domine laudis hoſtiæ, quas ſupplicitèr immolamus: & concede propitius: ut eorum imitemur exempla, quorum memoriæ cultûs primitias exhibemus. Per Dominum noſtrum, &c.

Poſt-Comm.

Eccleſiam tuam, quæſumus Domine, geminatâ Sanctorum PETRI, & MARIAE MAGDALENAE interceſſione placatus: ab hoſtium inſidiis clementèr eripias: & nullâ ſinas adverſitate turbari. Per Dominum, &c.

DVABVS Orationibus dictis, Sanctiſſimus sêdit; & cantatâ à Subdiacono Epiſtolâ, pariter ſedens lêgit Collectas, Epiſtolam, Graduale, & Euangelium. Impoſito poſteà thure in thuribulum, auream naviculam miniſtrante Cardinale Epiſcopo Aſſiſtente; is, poſtquàm Pontifex ſtetit, dum legeretur Evangelium, ipſi Sanctiſſimo thus adolevit. Deinde cum Cardinalibus paritèr Aſſiſtentibus, Papa Symbolum recitavit, ſurgenſque cum mitrâ, ſtetit ad offertorium, & iterùm ſedens cum mitrâ, Verſiculum offertorii lêgit. Quo lecto, per Clericum Cameræ Apoſtolicæ ſuccinctus eſt gremiali, ut pias oblationes ſacro, & antiquo ritu inter Miſſarum ſolemnia inductas in Eccleſiam, & fieri ſolitas acceptaret: quæ ſequenti quidem ordine præſentatæ fuerunt.

Ritus oblationum

Sub finem Symboli, ex Cardinalibus Congrega-

tionis Sacrorum Rituum duo in ſuo quique ordine antiquiores, nempè duo Epiſcopi, duo Presbyteri, & duo Diaconi, nec-non Cardinalis Roſpiglioſius ad poſtulandam Sanctorum Canonizationem, ut ſæpè diximus, delegatus, de ſuis ſubſelliis ſurgentes, factâ priùs Cruci, & Summo Pontifici reverentiâ, præcedentibus duobus cæremoniarum Magiſtris, ad abacos, ſivè, ut vulgò appellant, credentias, ubi res offerendæ idoneo ordine erant diſpoſitæ, ſe contulerunt; ſcilicèt Cardinalis Ginettus Epiſcopus Portuenſis, & Congregationis Sacrorum Rituum Præfectus, qui licèt aſſiſtentis Pontifici eo die munere fungeretur, illud tamen modò dimiſit: Cardinalis Roſpiglioſius Canonizationis Procurator deputatus: Fachenettus Cardinalis Presbyter: & Azzolinus Cardinalis Diaconus ad abacum in dextro cornu Theatri poſitam, in quâ oblationes pro S. PETRO de Alcantarâ paratæ erant, iverunt. Similitèr ad abacum, in ſiniſtro Theatri latere erectam, in quâ res offerendæ pro S. MARIA MAGDALENA de Pazzis collocatæ fuerant, Cardinales Brancatius, Sfortia, & Celſus perrexerunt. Ibi cùm eorum primarii familiares Aulici, ac digniores Franciſcanæ, & Carmelitanæ Familiæ Patres, quod quiſque deferret, accepiſſent, ad Pontificium Solium contenderunt.

Ordo deferendi oblationes.

Præibat Magiſter cæremoniarum, cum duobus Mazzeriis, argenteas clavas præferentibus. Propè veniebant Aulici duo Cardinalis Ginetti, prægrandes cereos portantes, quorum ſinguli effigie SANCTI

CTI PETRI, ac insignibus Summi Pontificis, & Catholici Regis, variisque floſculis, minio, & auro permixto, circumquàque depicti erant (ſexaginta libras quilibet ponderabat;) deindè Cardinalis Ginettus à dextris Cardinalis Roſpigliosii: Hos ſequebantur D. Didacus Colmenares Hurtado de Mendoza, ad negotia Hiſpanici Cleri in Romanâ Curiâ pertractanda deputatus, qui minorem cereum, ſed pari ferè modo inauratum, deferebat: & P. Evangeliſta Pazzago Franciſcanæ Familiæ Commiſſarius generalis, Caniſtellum præ manibus habens mirâ arte elaborarum, & auro illitum, in quo duæ turtures erant incluſæ.

Oblationes pro S. Petro.

Cardinalis Epiſc.

Iuſto poſteà intervallo progrediebantur duo familiares Cardinalis Fachenetti, totidem prægrandes panes geſtantes, unum auro, & Pontificiis insignibus, alterum argento, & Catholicæ Majeſtatis ſtemmate, diſtinctum: tùm ipſe Cardinalis Fachenettus; ſubſequebantur D. Franciſcus de Villegas Archidiaconus, & Canonicus Metropolitanæ Burgenſis, & P. Antonius Vellaſco Ordinis Minorum Procurator generalis. Hic ciſtulam ſimilitèr deargentatam, par columbarum continentem: ille cereum parvuum, eodem, quem ſuprà deſcripſimus, modo ornatum, ferentes.

Cardinalis Presbyter.

Demùm Cardinalis Azzolinus incedebat poſt binos ex ſuæ Aulæ familiaribus geſtantes duo doliola, ſtemmate Pontificis, & Regis Catholici inſignita: alterum auro, alterum argento obductum. Cardinalem ſequebantur Advocatus Michaël An-

Cardinalis Diac.

Fides, & diligëtia Procuratorum Canonizat.

gelus Lapius, cauſæ Canonizationis S. PETRI Patronus, qui exactiſſimis ſanè rationibus, ſedulâque, & accuratâ ſolicitudine, ac fide, omnia, quæ ad celebritatem hanc peragendam requirebantur, præparari curaverat: & F. Gregorius à S. Bonaventurâ, de quo ſuprà mentionem fecimus; alter cereum, alter caniſtellum auro, argentoque diſtinctum, in quo variæ diverſarum ſpecierum latebant aviculæ, deferebat.

Oblationes pro S. Maria Magdalena.

Eumdem prorsùs ordinem cum cæremoniarum Magiſtro, Mazzeriis, ſuiſque familiaribus tenuerunt Cardinales Epiſcopus Brancatius, Sfortia Cardinalis Presbyter, & Diaconus Cardinalis Celſus. Dona verò pari prorsùs cum ſupramemoratis ornatu, ſed effigie S. MARIAE MAGDALENAE, & ſtemmate Pontificio, ac Cæſareo decôrata geſtabant P. Andreas Lao, qui, ut ſuprà meminimus, Vicarii generalis nomine, ac officio, univerſo Carmelitarum Ordini modò præeſt: P. Sebaſtianus Berghus Vicarius item generalis Congregationis Mantuanæ Carmelitarum: & P. Iacobus Amanſius Aſſiſtēs generalis Germaniæ ejuſdem Ordinis, cum DD. Franciſco Dulcino Archipresbytero Ianuenſi, Bonifacio Abb. Aſtuto, & cum hujus operis Authore, qui propè abacum ipſam ſtabat, quò ſingula quæque, ut ea poſteà literis traderet, minutè, ac diſtinctè perſpicere, & obſervare poſſet.

Sex Cardinales Congregationis Sacrorum Rituum de manibus ſuorum familiarium accepta dona priùs reverentèr oſculata Pontifici præſentarunt;

runt; Cardinalis Roſpiglioſius ea, quæ reliqui deferebant, paritèr oſculatus, Suæ Sanctitati obtulit. Singuli verò Cardinales, factâ oblatione, Sanctiſſimi manu, ac genu, cæteri autem pede oſculato, illum venerati fuerunt: eoque defuncti religionis obſequio, ad ſua quique loca redierunt; remanentibus tantùm Cardinale Ginetto apud ſuum faldiſtorium, ut aſſiſtentiæ munus reſumeret, & explêret, ac Cardinale Roſpiglioſio, qui plus cæteris oblaturus erat.

Prælati referunt oblatione ad abacũ

Cùm hæc oblata eſſent Summo Pontifici, Votantes Signaturæ Iuſtitiæ, & Abbreviatores ea ſtatìm è Solio accepta manibus, vnà-cum tenuiſſimis velis, quibus, munditiæ gratiâ, erant ſuperimpoſita, ad abacum retulerunt.

Interìm, ſedente Cardinale celebrante cum mitrâ in ſuo faldiſtorio, Orator Venetus ſolito more aquam ſacris Papæ manibus fudit, miniſtrante manutergium Cardinale Epiſcopo Aſſiſtente; pariterque Celebrans apud ſuum faldiſtorium manus lavit, & ad Altare ſe conferens, miſſam proſecutus eſt. Reliqua conſuetis prorsùs cæremoniis, ac ritibus acta fuerunt; præterquàm quòd ad thurificationem D. Caſalius, ut diximus, celebranti in munere Diaconi aſſiſtens, poſtquàm thurificaſſet Cardinalem Epiſcopum, & Diaconos Cardinales Aſſiſtentes, nec-non Cardinalem Brancatium ſeniorem Cardinalem ſtantem in ſubſellio Presbyterorum Cardinalium, thurificavit paritèr duplici ductu Reginam; mox ad ſedile Presbyterorum Cardinalium rediit,

Ordo thurificandi Papa nõ celebrante.

rediit, ibique ergà ſecundum in ordine inter ſedentes Cardinales, nempè Carpineum Epiſcopum Cardinalem, ergà Cardinales etiam Presbyteros, ac cæteros, idem thurificationis officium præſtitit.

Ordo thurificandi Papa celebrante.

Quod pari modo Cardinalis Diaconus Euangelii expleturus erat, ſi Summus Pontifex miſſam celebraſſet; nempè primùm thurificaſſet Epiſcopum Cardinalem Aſſiſtentem Decanum; duoſque Cardinales Diaconos aſſiſtentes: ac primum Cardinalem ſtantem in ſedili Cardinalium Presbyterorum: Reginam: ſecundum poſteà, ac inſequentes Cardinales Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos Cardinales, ac Epiſcopos Papæ Aſſiſtentes; mox tradito thuribulo Auditori Rotæ Subdiacono legenti Epiſtolam, ab eodem thurificatus fuiſſet; qui poſteà reliquos de more thurificaſſet.

Ordo dandi pacem Papa non celebrante.

Pax etiam data eſt Pontifici à Cardinale Epiſcopo Aſſiſtente, qui ſtatìm illam dedit D. Antaldo, Presbyteri aſſiſtentis munus obeunti; Hic illam item dedit primo Cardinali exiſtenti in ſubſellio Cardinalium Presbyterorum, nempè Cardinali Brancatio, deindè illam detulit Reginæ, ſumpto è manibus Magiſtri cæremoniarum pacis inſtrumento (ſic vocant) quod Regina piè oſculata eſt. Poſteà idem Antaldus pacem dedit Priori Presbyterorum Cardinalium, & antiquiori Diacono Cardinali ſtanti in ſedili Diaconorum, ac reliquis de more.

Ordo dandi pacem Papa celebrante.

Eodemque omninò ordine, ſi Pontifex rem ſacram peregiſſet, Cardinalis Epiſcopus Aſsiſtens, nempè Decanus, pacem dediſſet; priùs ſcilicèt antiquio-

tiquiori Episcopo Cardinali in subselliis existenti: Reginæ: Priori Cardinalium Presbyterorum: Priori Diaconorum Cardinalium: ac duobus Episcopis Assistentibus, primum ab utroque latere Pontificis locum occupantibus: mox Auditori Rotæ Subdiacono, à quo aliis omnibus danda foret, consueto Capellæ ritu.

Missa absoluta publicantur Indulgentiæ.

Peracto Missæ sacrificio, datâque populo per Pontificem solemni benedictione; Cardinalis Decanus celebrans, stans in cornu Epistolæ, consuetas Indulgentias publicavit: præsentibus scilicèt plenariam, & visitantibus quot-annis die XVIII. Octobris sepulchrum S. PETRI, & XXV. Maii sepulchrum S. MARIAE MAGDALENAE septem annorum, totidemque quadragenarum.

Quibus ritè confectis, Papa propè statuam Sanctæ Helenæ, extrà theatrum tamen, in loco de industriâ ad id parato, holosericis aulæis obducto, sacras vestes deposuit; sellulâ deindè gestatoriâ exceptus, in Palatium reversus est.

Ornamenta, & expense describuntur

Supereſt, ut singula ornamenta, quæ hac occasione Canonizationis pro Summo Pontifice, aliisq; ei Assistentibus Ministris confecta fuerunt, quin nè unum quidem prætereamus, singillatim enumeremus: omnesque expensas in sacris vestibus, in Basilicæ paratu, & in cæteris rebus ad eamdem celebritatem spectantibus factas, majori, quâ poterimus, distinctione, & claritate, brevî computemus; easque, veluti in tabellâ quâdam minutissimè descriptas, Lectorum oculis palàm exponamus:

ut eo-

ut eorum curiositati faciamus satis. Incipiendo igitur ab Arâ maximâ, in medio Basilicæ erectâ, & Apostolorum memoriæ impositâ.

Pro Altari.

Duplicem Aræ frontem bina pallia auro, phrygio opere, ac summo artificio circumtexta vestiebant. Alterum effigie S.PETRI, atque insignibus Pontificis, & Catholici Regis; alterum S. MARIAE MAGDALENAE imagine, & stemmate Pontificis, ac Cæsaris, pari prorsùs opere, & ornatu conspicuum apparebat. Fascia maioris pretij, atque elegantiæ superiùs, & ab utroque latere eminebat, ac radiabat, intextis eorum Principum, de quibus non semèl meminimus, armis, & Religionum emblematibus, insignis.

Aequalis ferè pretii amiculum Sanctissimi Sacramenti altare adornabat.

Pro Summo Pontifice.

Omnes sacræ vestes, ac si re ipsâ Summus Pontifex missam celebraturus esset, è serico albo, *lustrinum* vulgò appellant, ad tantam celebritatem comparatæ, visebantur multo rigentes auro, phrygio opere circumtextæ; nempè

Pluviale Pontificium (mantum vocant) cujus oras, limbo aureo undequàque circumducto, latior fascia, auro itidem intexta, anteriùs ambiebat; quas variæ Cælitum effigies, auro turgentes, recto ordine

dine collocatæ decorabant. Summum tenebat Spiritûs Sancti ſymbolum, columba; & hinc-indè Sanctiſsimi Salvatoris, & B. Mariæ Virginis imagines; proximum iis locum Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli: inferiorem verò icones SS. PETRI de Alcantarâ, & MARIAE MAGDALENAE de Pazzis occupabant.

Eiſdem prorsùs imaginibus acu pictis planeta, ſeù caſula fulgebat; unam ſi excipias Spiritûs Sancti columbam: cujus loco pelicani ſpecies cernebatur. Non abſimili ornatu ſtola, & bini erant manipuli, quorum alterum ſubcinctorium vocant. Gremiale etiam aureis laciniis, & flocculis conſpicuum, cum duobus magnis pulvinaribus, Pontifici genua flectenti, & oranti ſupponendis. Sandalia prætereà, & calcei, ad oſculum, Crucibus inſigniti. Duæ Dalmaticæ è telâ aureâ, levi quidem materiâ, ſed pretiosâ, aureis virgulis diſcretâ.

Mitra Papalis è telâ item aureâ, ducentis ſeptuaginta circitèr topaziis ornata, in varias, ac venuſtas rerum ſpecies diſtinctis, quæ lapidum, & auri fulgôre oculorum aciem præſtringebat.

Pro Miniſtris.

Pluviale pro Cardinale Epiſcopo Aſſiſtente; Dalmatica, & Tunicella, quas Diaconus, & Subdiaconus Euangelium, & Epiſtolam lecturi, induere debebant, paris cum ſuprà memoratis rebus operis erant, & artificii. Dalmatica altera cum Tu-

nicellâ, minori tamen impendio contexta, pro Subdiacono, & Diacono, qui Capellæ Pontificiæ more, Epistolam, & Euangelium græcè cantaturi erant. Stolæ itidem tres: manipuli quatuor. Amplum calicis velum, laciniis aureis adornatum. Bursa corporalium. Sex sacrorum librorum holoserica tegumenta, scilicèt Missalis, Evangeliorum, Epistolarum, Precum, seù Cæremoniarum. Quatuor quoque pulvinaria iis libris supponenda. Operimentum saldistorii tùm Summi Pontificis, tùm Episcopi Assistentis: & legilis pro Diacono Latino, & Græco ad decantandum Evangelium. Quæ quidem ornamenta suprà-memoratis vestibus, materiâ & ornatu, aptè respondebant. Pro conficiendâ sacrâ supellectili hactenùs recensitâ, expensa fuerunt scuta monetæ Romanæ 5026. 98. nempè

Pro Mitrâ scut.	255. 05.
Pro telâ ex serico albo aureo subtilioris texturæ, pro Dalmaticis Summi Pontificis, velo Calicis, & candelæ ab eodem in supplicatione ferendæ, ponderis librarum 3. d. 18. scut.	90. 17.
Pro cannis 20. palm. 2. holoserici albi, vulgò *lustrino*, scut.	70. 87.
Pro cannis 20. palm. 6⅓. holoserici albi, vulgò *ormesino*, scut.	83. 17.
Pro cannis 19. palm. 3½. holoserici simplicis albi, scut.	66. 10.
Phrygionibus pro manifacturâ rerum hactenùs descriptarum soluta sunt scut.	3985. ---
Pro	4550. 36.

Pro fimbriis,laciniis,& virgulis,è ſerico & auro,ad eamdem ſupellectilem ornandam, ſcut.— 143.92.

Pro funiculis, & floccis ſerico aureis,& in his omnibus ſuendis,aptoq;ordine componendis,ſc. 332.70.

Linea.

Alba aureis intercurrentibus lineis diſtincta, fimbriiſque venuſtè circumdata, cum ejuſdem ornatûs amictu, & lemniſcato cingulo aureo ſerico, veſtiendo Pontifici præparata. Alba etiam virgulis, ac fimbriis, uti vocant Flandricis, & cingulo ſerico, auro argentoque intexto, pro Diacono Evangelium cantaturo. Alia itidem virgata, fimbriataque, paulò inferioris materiæ, & ornatûs pro Subdiacono Latino. Pro Diacono autem, & Subdiacono Græcis aliæ duæ albæ, inferioris pretii, ut juſtâ, & quâ par eſt, diſtinctione, Altaris Miniſtri ornati comparêrent.

Corporale. Palla. Octo Purificatoria: totidemque ſudariola: ac manutergia. Cuncta ſtaminis tenuiſſimi, & Flandricis fimbriis, ac lemniſcis adornata. Octo manutergia paulò inferioris notæ pro Diacono, & Subdiacono Latinis: totidemque pro Diacono pariter,& Subdiacono Evangelium, ac Epiſtolam græcè dicturis. Pectorale aureis decurrentibus venis,fimbriis,lemniſcis, corduliſque pendentibus ſimilitèr aureis decoratum, pro Subdiacono Latino.

Mappa ſuperior Altaris, tribus aliis mappis

 5026.98.

damaſceni operis ſuperpoſita, ſubtiliſſimi fili, ac aureis diſtincta virgulis, fimbriiſque decentèr ornata (ſingulæ triginta palmos longitudinis habebant). Mantilia item oblonga operis paritèr damaſceni pro obducendis abacis Offertorii, & pro aliis abacis contegendis. Alia itidem ejuſdem materiæ, multò breviora, ſingulis muneribus, cùm Pontifici offerrentur, ſupponenda. Demùm longum admodùm linteamen tenuiſsimi ſtaminis, ad Pontificiarum veſtium menſam cooperiendam: ſteterunt omnia ſuprà recenſita linea, ſcut. —— 557. 94.

Lignea.

Theatrum magnum, ſuis undique repagulis firmatum, & cancellis clauſum, cum eleganti ſtatuarum, aliarumque rerum ornatu ſuperiùs deſcripto. Tabulata itidem hinc-indè erecta, & ligneis craticulis auro fulgentibus permunita, ſcut. —— 1674. 14.

Tabulæ cum inſignibus gentilitiis Summi Pontificis, ac Cæſareæ, & Catholicæ Majeſtatis, nec-non Carmelitanæ, ac Franciſcanæ Familiæ. Quadraginta candelabra, auro inter obſcuros colores micante illuſtrata, ſingula quinis diſcreta virgulis, per loculamenta pilarum diſtributa: milleque, & ampliùs, ſuper coronide Baſilicæ circumquàque diſpoſita: nec-non lignea fulcra ad eadem candelabra ſuſtinenda, ſcut. —— 938. —

Sex 8197. 06.

—— 8197.06.

Sex Caniſtella, & quatuor Doliola, auro, argentoque illuſa, ſcut. —— 240.---

Picturæ.

Pro quatuor magnis Vexillis, imaginibus S. PETRI de Alcantarâ: totidemque S. MARIAE MAGDALENAE inſignitis, ſcut. —— 1418.

Pro cannis 46. palm. 4½. ſubſtrati ſerici, ſcut. —— 186. 35.

Pro fimbriatis auro laciniis, funiculis, lemniſcis, & labore artificis in illis conficiendis, ſcut. —— 568. 05.

Quæ ſumma efficit ſcut. —— 2172. 40. 2172.40.

Duæ maiores octangulares tabulæ: tres ovatâ figurâ minores: viginti aliæ quadratâ, illuſtriora eorumdem Sanctorum miracula continentes: aliæ item majoribus literis eadem miracula declarantes: totidem demùm minores tabellæ, Pontificium ſtemma, & ſacra Carmelitanæ, & Franciſcanæ Familiæ emblemata exhibentes, interfuſo auro, nigroque colore depictæ, æſtimatæ fuerunt ſcut. —— 1017.60.

Picturæ eorumdem Sanctorum oblatæ Pontifici: aliæ diſtributæ Cardinalibus, ac nonnullis Principibus, Romanæ Curiæ Prælatis, & Conſultoribus Congregationis Sacrorum Rituum; omnes eleganti circùm, & deauratâ Coronide ornatæ, ſcut. —— 3663.81.

Cerea 15290.87.

Cerea.

Innumeri cerei candidiſſimi (quatuordecim millium ſeptingentarum triginta-ſex librarum pondus æquabant)partìm Clero diſtributi; partim ſuper candelabra diſpoſiti, (horum ſinguli octo ponderabant libras) & in Baſilicâ ardentes. Cerei oblati Pontifici in ſupplicatione: alij in Offertorio:nec-non duodecim prægrandes pro eleuatione hoſtiæ ad Miſſam, cum cæteris accenſis antè Altare majus, & ſacram Apoſtolorum Memoriam, minio, & permixto auro lucentes, inſignibuſque Principum ſupradictis, conſpicui, ſteterunt ſcut. —— 4438.56.

Ornatus Eccleſiæ.

Pro aulæis rubri coloris è ſerico damaſceno, vulgò *in teli* 202. ponderantibus libras 2303. vnc.9½. (impenſis ſcutis ſeptem pro quâlibet librâ) ſcut. —— 16126.56.

Pro lineis,ſeù faſciis aureis aulæa interſecantibus pondere librarum 902. unc. 2. d. 12. in quibus conſumptæ ſunt auri libræ 435. vnc. 7. d. 19. ſcut. —— 7749.27.

Pro telâ, ad eiuſdem ſerici damaſceni, & linearum munimen, & in his ſuendis, aptèque componendis, ſcut. —— 1050.35.

Pro mercede ornantium, ac parantium Baſilicam, in universùm expenſa fuerunt ſcut. — 454.86.

Varia 45110.47.

Varia.

Pro Amanuenſium labore in ſcribendo, tùm Latinè, tùm Græcè Euangelium, & Epiſtolam, aliaſque preces in Canonizatione: nec-non plures relationes in ſacris Conſiſtoriis habitas, & pro illarum impreſsione, ac vnà-cum libris vitam eorumdem Sanctorum continentibus, idoneâ ligaturâ, ut Cardinalibus, Conſultoribus Congregationis Sacrorum Rituum, cæteriſque Romanæ Curiæ Prælatis diſtribuerentur, ſcut. -- 289.03.

Pro iis verò, quæ ſequuntur, non una ſimplex pecuniarum ſolutio, ſicut hactenùs diximus, facta eſt, ſed duplex; ac ſi quilibet horum Beatorum ſeorſim ab alio in Cælitum numerum relatus eſſet. Itàque duplices fuerunt

Sportulæ, aliæ ratione Canonizationis S.PETRI, aliæ ratione Canonizationis S.MARIAE MAGDALENAE: effecerunt ſummam ſcut. -- 6597.50.

Strenæ item duplices, ſcut. ———— 6519. ---

Indumenta diſtribui ſolita Officialibus Capellæ Pontificiæ, conſtiterunt ſcut. ———— 3384. ---

Pro tapetibus purpurei, & viridis coloris, quibus Solium Pontificium, Reginæ Thalamus, & Theatrum cooperta erant: nec-non pro holoſericis auro intextis, Thronum, Sedeſque veſtientibus: ac pro umbellis prædictum Thronum, & Summum Pontificem in ſupplicatione, tegentibus, in univerſùm expenſa fuerunt ſcut. ——— 2100. ---

64000. ---

Expen-

—— 64000.

Expensæ factæ in Canonizatione Sancti PETRI, scut. —— 32000.

Et in Canonizatione S. MARIAE MAGDALENAE, totidem similitèr scut. —— 32000.

Summa itàque omnium prorsùs expensarum est, scut. —— 64000.

Porrò pro his omnibus, quæ ad hanc celebritatem requirebantur, comparandis, eadem pecuniæ summa deposita fuit in Banco S. Spiritûs de Vrbe à suprà memoratis P. Andreâ Lao, & Michaële Angelo Lapio, ut diximus, Canonizationis eorumdem Sanctorum Procuratoribus; qui eximiâ integritate, Artificibus, cæterisque omnibus creditoribus chirographa tradiderunt, ut pecunias sibi debitas in eodem Banco exigerent. Itàque adhibitâ accuratissimâ diligentiâ, atque initâ per peritissimos Computistas, (quorum etiam operâ usi fuimus) expensarum ratione, ut addendo, deducendoque distinctè ad loca quæque sua perfectissimo calculo reducerentur; eas prorsùs esse, quas summâ fide, & sinceritate enumeravimus, certò comperimus.

Cæterùm, occasione hujus solemnis Canonizationis, in quâ Sanctissimus D. N. CLEMENS IX. per se ipsum Missam non celebravit, sed ejus loco Eminentiss. D. Cardinalis Barberinus Sacri Collegij Decanus; non defuêre qui dicerent, Sanctorum Canonizationem absque

que Pontificiæ missæ sacrificio nequaquàm fieri consueviſſe, nec ritè peragi posse, nec debere; cùm illa ad Canonizationis rationem pertinere videretur, & anteactis temporibus Romani Pontifices semper celebraverint; ducto tantæ rei initio ab Alexandro III. Sanctiſsimo, ac Sapientiſsimo Pontifice, qui Missæ sacrificium perêgit, cùm Sanctos canonizandi normam, legemque præscripsit Romanæ Eccleſiæ, referendo in Sanctorum numerum Diuum Thomam Cantuarienſem Epiſcopum, Signiæ in quâ Vrbe tunc morabatur, anno ſalutis humanæ MCLXXIII. Hæc autem dici non posse, meridianâ luce clariùs eſt. Illuſtrandæ tamen magis, quàm tuendæ hujus perſpicuæ veritatis gratiâ, hîc ſubnectere voluimus eruditam admodùm Diſſertatiunculàm, quam Reuerendiſs. D. Phœbeus Archiepiſcopus Tarſenſis, hac oblatâ occaſione, ad ingenium excolendum, ex aſsiduâ, & ſacrâ librorum lectione collectam, jam ſepoſuerat inter alia ipſius innumera M S S., quæ penès me ſunt inter priuatos parietes concluſa, ut ſuo tandem tempore ad communem utilitatem typis mandentur, dummodò Authoris modeſtia, ſuper hujuſcemodi re à me ſæpiùs requiſiti, id permittat. Cujus Diſſertatiunculæ Tractatus eò gratior erit Lectoribus, quò illius Author accuratior, ac diligentior eſſe ſolet in eorum fontibus indagandis, quæ præter ordinarium uſum, & morem in Romanâ Curiâ, diuerſarum rerum, ac temporum occaſione, contingere videntur: atque ex iis, quæ modò referemus, facilè erit de

Alexan. III. præſcribit legem ſuper Canoniz. Sanctorũ

Diſſert. D. Phœbei, an Canonizatio ritè peragi poſſit Papa nõ celebranſe?

cæteris conjecturam facere. Nec ille ab instituto nostro, qui latè de Sanctorum Canonizatione hactenùs egimus, judicabitur alienus, cum jure suo ad illam pertineat: & hujusce operis idoneum videatur additamentum, vel ornamentum, & parergon.

A Summo Pontifice Canonizationis solemnia ritè peragi posse, eomet Missam majorem non celebrante, satis superque evincitur ex ipsâ Cæremonialis dispositione *tit: 6. lib. 1. de Canonizat. Sanctor.* vbi hæc habentur: *His finitis, Pontifex incipit Tertiam, & cantat Missam, & si non posset, aliquis Cardinalis celebret pro eo.* Quicquid verò lex ipsa Cæremonialis disponit, ritè servari, ambigendum non est. Attamen prælibare placet, an Cæremonialis ejusdem dispositio praxi, olim ab Ecclesiâ servatæ, innitatur, vel aliàs idoneis fulciatur rationibus.

Et sanè teste Bellarmino *tom. 1. lib. 1. de Sanctorum Beatitud. cap. 7.* & alijs: *Canonizatio est publicum Ecclesiæ testimonium de verâ Sanctitate, & gloriâ alicujus hominis jam defuncti, ac simul judicium, & sententia, quâ ei decernuntur honores illi, qui debentur ijs, qui cum Deo felicitèr regnant.* Quæ definitio optimè convenit omnibus, qui ab Ecclesiâ quocumque modo hucusque fuerunt Sanctorum numero adscripti. Non enim loquimur de Sanctis, ex veteri, vel etiam ex novo testamento desumptis, testimonio scilicèt divino scripto, sivè divinâ tra-

ditio-

ditione assertis, puta de Adamo, Hevâ, Abraham, Isaac, Iacob, Henoch, Eliâ: vel de Beatissimâ Virgine, Ioanne Baptistâ, Bono-latrone, Levitâ Stephano, & his similibus; sed loquimur de Canonizatis publico, & solemni ritu, ac per diploma Pontificium euulgatis: sivè tandem ex consensu universalis Ecclesiæ, cum expressâ, vel saltem tacitâ Summi Pontificis approbatione.

Qui SS. canonizandi modus primis seculis in usu extitit; nempè vel per aliquod generale Decretum Ecclesiæ, vel inquisitione, approbatione, ac decreto Primatum, & Episcoporum, in eorum singulis Provinciis, ac Diœcesibus, juxtà illa, quæ ex Concilio Agrippinensi accepta refert Iuo *par.* 3. *Decret. cap.* 54. ubi sic ait: *De Ecclesiis, seù Sanctis novitèr inventis, nisi Episcopo probante, in ejus territorio minimè venerentur.* Nefas enim erat, ut affirmat Eusebius Cæsarienſis *lib.*4. *Hist.c.*14.*& lib.*5. *cap.* 15. venerari etiam Martyrem, aut reliquias illius, qui vel Sacri Senatûs-Consulto, vel alicujus saltem Episcopi iudicio, & auctoritate non-dùm vindicatus, hoc est probatus, & receptus esset; ut egregiè demonstrat Optatus Milevitanus *lib.* 1. *adverſ. Parmen.* his verbis: *Cùm præponeret* (Lucilla scilicèt Donatistarum Patrona) *calici salutari os, nescio cujus hominis mortui etsi Martyris, sed non-dùm vindicati, correpta ab Archidiacono Cæciliano, cum confusione irata discessit.* Moris enim erat, ut cùm aliquis occubuisset; Episcopus, sub cujus ditione id accidisset, rem gestam scriberet ad Primatem, à quo

maturè adhibitis in Concilium Suffraganeis Episcopis, an inter Martyres recipiendus esset, decerneretur. Ejusque rei ritum, & ordinem apertè insinuat Divus Augustinus *in Brevic. post collat. diei tert. cap.* 13. Præhabitis verò diligenti discussione, & approbatione, licebat in Diptycha referre nomina eorum, qui inter divina invocarentur, ut clarè colligitur ex Optato Milevitano *prædict. lib. adverſ. Parmenion.* Verùm cùm Episcopi nimis properè ad Canonizationes procederent; resque esset deceptionibus obnoxia: ea auctoritas ab Alexandro III. illis sublata fuit; ac deinceps non-nisi ex licentiâ Romani Pontificis Canonizationes fieri inductum, servatumque est; licèt aliquandò intermissum, atque etiam antè Alexandrum III. à Paschale II. id peractum fuerit, in Canonizatione S. Petri Episcopi Anagnini, anno 1110. Pont. 10.

Is autem canonizandi modus, quod ritè, ac validè fieri possit, sivè Pontifex Missam celebret, sivè non, per se patet; olimque innumeros Dei Servos Sanctorum catalogo adscriptos esse, & ab universali Ecclesiâ ut tales habitos, quin necesse fuerit, ut Summi Pontifices missam celebrarent, illosque cum missarum solemniis Sanctos esse decernerent, ex sequentibus constabit.

Olìm Canonizationes ritè perficiebantur, ac validè, solo etiam decreto, vel assensu Episcoporum acclamativæ suorum populorum, quæ tunc vim paritèr Canonizationum obtinebat; donec Alexander præfatus ad solum Pastorem universalem

hujuſmodi declarationes, vel aſſenſum pertinere, jure optimo ſancivit *in cap. Audivimus. de Reliquijs, & venerat. Sanctor.* ibi: *ne liceat aliquem pro Sancto, abſque auctoritate Romanæ Eccleſiæ venerari*; eâ ſcilicèt validiſsimâ ratione, quòd jubere, ut quis à totâ Eccleſiâ, ut Sanctus habeatur, ad eum tantummodò ſpectat, qui jus habet proponendi toti Eccleſiæ quid credendum, agendumq; ſit in iis, quæ ſunt religionis. Canonizationem verò Sanctorum ad religionem pertinere, quis dubitet? immò ad fidem? cùm ex eâ conſurgat fervor, & comprobatio fidei Chriſtianæ, & in eâ ſit ſpecialis, & ſignata profeſsio fidei, cujus ſimbolum continet Sanctorum (nempè cum Chriſto felicitèr regnantium) communionem, per indiviſam ſpiritûs, inquam, communionem, & indiſſolubilem nexum charitatis, quæ nunquàm excidit. Sancti enim eamdem cum Chriſto veritatis cognationem, & per omnia conſpirationem invenientes, membra corporis Chriſti effecti, ad illius compagem omninò pertinere videntur, vt Pius I. *Epiſtolâ ad Iuſtum* aſſerit: *Cura* (inquiens) *Sanctorum corpora, ſicut membra Dei*. Quod verò fiat cum Miſſarum ſolemniis, nec Alexander Tertius ſancivit, nec rei natura poſtulat, quæ tantùm exigit certitudinem de ſanctis moribus, & felici exitu illius, quem regnantem in Cælis cum Deo, nobis proponit Eccleſia in terris imitandum, colendumque, & in noſtris neceſsitatibus invocandum. Itàque parùm refert, an Canonizatio fiat, cum, vel ſine celebratione Sacrificij; cùm Summus

mus Pontifex ubique habeat assistentiam Spiritûs Sancti, ne errare possit in rebus fidei, & morum, ad universalem Ecclesiam pertinentibus, quas definit, vel decernit certâ, & infallibili sibi à Deo traditâ potestate. Rem tamen propositam latiùs, & fusiùs multis & ritibus, & exemplis ab antiquitate petitis illustrabimus, & confirmabimus.

Docet Gregorius IX. *in literis Canonizationis Sancti Antonij de Paduâ, datis Spoleti Kalend. Iunij, anno* 1233. §. 3. ad hoc, ut aliquis Sanctus sit apud Dominum in Ecclesiâ triumphante, sufficere finalem perseverantiam in gratiâ, juxtà illud: *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam gloriæ*: ad hoc tamen ut Sanctus quis habeatur apud homines in Ecclesiâ militante, duo esse necessaria, innocentiam morum, & veritatem signorum, ad perhibendum testimonium sanctitatis. Horum igitur veritate perspectâ, solo Apostolicæ Sedis judicio, & decreto, Canonizatio perficitur; reliqua sunt de effectibus, vel de accidentibus, ritibus, solemnitate, vel cæremoniis, non de illius substantiâ.

Primis tamen Ecclesiæ temporibus, Martyribus tantùm Sanctorum cultum exhibendi mos erat, ferias agendo, & solemnes conventus circà eorum Reliquias, & sacra pignora, ut testatur Eusebius *lib.* 4. *Hist. c.* 15. his verbis: *Quo in loco etiam nunc præstante Domino solemnes* (Divo scilicèt Polycarpo) *agimus, celebresque conventus, maximè quidem in die passionis ejus; sed & cùm eorum memorias, qui priùs passi fuerant, celebramus*: & confirmat Gregorius Nysse-

Nyſſenus *in Vitâ Thaumaturgi paginâ mihi 946. lit. E. Gregorius* (inquit) *deſcendit rursùs in Vrbem, & omni circà regione peragratâ, & perluſtratâ, additamentum, & quaſi corollarium ſtudij ergà numen divinum inſtituebat; apud omnes ubique populos ſanciens, ut nomine eorum, qui pro fide decertaſſent, dies feſti, atque ſolemnes conventus celebrarentur; cùmque alius in alium locum corpora Martyrum deduxiſſent, per anniverſarium circuli ambitum congregati lætabantur, in honorem Martyrum ferias agentes.* Proindè agapas (ſacra ſcilicèt convivia, quæ à convenientibus ad Martyrum natalitia celebranda, in ipsâ Eccleſiâ fieri ſolebant) contemnentes anathemate percutit Concilium Gangrenſe *Can.* 11. & 20. anno circicitèr 324. ſub Sancto Sylveſtro coactum; ut-potè illas (teſte eodem Gregorio Nyſſeno *in vitâ Gregorij Magni*) ideò Divus Gregorius permiſit, quòd adverterat, propter corporis voluptates imperitum vulgus in errore ſimulacrorum cultûs permanere; ut itàque vanis ſuperſtitionibus relictis, ad Deum converteretur: in memoriam Sanctorum ſe ſe exhilarare, oblectare, & in lætitiam effundi poſſe non abnuit. Quæ convivia mox in abuſum verſa, ab Eccleſiæ limine removere ſtuduerunt Ambroſius, & Auguſtinus *confeſſ. lib. 6. cap.* 2. ac tandem ea vetita fuerunt à Concilio Africano *Can.* 27.

Paritèr cultum exhibere Martyribus Eccleſia conſuevit, in eorum honorem templa conſtruendo, divinitùs edocta in S. Clemente Papâ, cujus corpus (cùm, Chriſtianis orantibus, mare ad tria mil-

liaria

liaria receſsiſſet) in ædiculâ marmoreâ in templi formam, intrà arcam lapideam conditum repertum eſt. Et de S. Patrocio Martyre Baronius *ad ann.* 278. *lit. C.* ex actis ejuſdem Martyris accepiſſe narrat: *Euſebium ædificaſſe ſuprà corpus S. Viri parvam, parvâ facultate, Eccleſiam*; exemplo Memoriæ, ſeu Eccleſiarum, quas tradunt à Cleto Pontifice ſuprà corpus B. Petri Apoſtolorum Principis, primitias Sanctorum cultûs in Vaticano, & ſuprà corpus S. Pauli in viâ Oſtienſi, ſub ipſis vagientis Eccleſiæ incunabulis, extructas eſſe; de quibus ait Euſebius *Hiſt. lib.* 2. *cap.* 24. referens verba Caii Theologi: *Ego Apoſtolorum trophæa perſpicuè oſtendere poſſum*; *nam ſi libet in Vaticanum proficiſci, aut in viam, quæ Oſtienſis dicitur, te conferre, trophæa eorum, qui iſtam Eccleſiam ſuo ſermone, & virtute ſtabilierunt, invenies*. Immò & ipſi Apoſtolorum Principi adhuc viventi Eccleſiam à S. Marco ejus diſcipulo Alexandriæ erectam commemorat Anacletus *in Epiſt. ad omnes Epiſcopos, & Sacerdotes* his verbis: *Secunda Sedes apud Alexandriam eſt, B. Petri nomine, à Sancto Marco diſcipulo ejus, & Euangeliſtâ conſtructa*. Quod probant Divus Auguſtinus *Epiſtolâ* 120. *ad Honoratum*, & Gennadius *lib. de Dogmat. Eccleſ. cap.* 72. Verùm cùm aliquando Eccleſiæ, nomine Martyrum, paſsìm per vias, & agros conſtruerentur, in quibus nullæ erant Martyrum reliquiæ, id fieri prohibuit Concilium Carthagin. V. *Can.* 14. decernens: *ut nulla memoria Martyrum acceptaretur, niſi aut ibi corpus, aut aliquæ certæ reliquiæ eſſent, aut*

ubi

ubi origo alicujus habitationis, possessionis, aut passionis.

Cultus etiam ab Ecclesiâ Martyribus præstari olim consuevit, erectione Altarium super sacra eorumdem corpora; quod Divus Augustinus satis clarè demonstrat *serm.* 113. *de diverſ. in edition. Lovanien.* his verbis: *Denique sicut nostis quicumque Carthaginem nostis, in eodem loco (ubi scilicèt Cyprianus posuit carnis exuvias) mensa Deo constructa est, tamen mensa dicitur Cypriani.* Et paulò post: *Vt mensa illa, quæ Dei est, etiam Cypriani vocetur.* Proindè Pius I. *Epist. ad Iustum superiùs recensitâ*, sic scribit: *Cura SS. Martyrum corpora, sicut membra Dei, quemadmodùm curaverunt Apostoli Stephanum.* Quòdque eorum Reliquias impensè colerent Christiani in ipsius Ecclesiæ primordiis, tradit Eusebius *Hist. lib.* 5. *cap.* 1. Et quoniam per Altare, vt ait Divus Bernardus *serm.* 4. *in festo omnium Sanctorum*, Christi corpus figuratur; id ipsum membris (hoc est Sanctorum Reliquiis) compaginari videtur. Itàque Felix I. Romanus Pontifex *epist.* 2. *ad Episcopos Galliæ*, constituit, seù veriùs publico Edicto confirmavit, & ubique locorum promulgavit, suprà sepulcra, seù Memorias Martyrum missas celebrari. Aptissimè quidem secundùm Sacram Scripturam *Apocalyps. cap.* 6. *num.* 9. ubi sepulcra Martyrum Altaria Dei appellantur, ex eo quòd (ut omnes interpretantur Græci, & Latini) super illa sacrificia offerri consueverint; ut antiquissimæ Liturgiæ Iacobi, & Clementis apertè insinuant, in quibus Sanctorum Apostolorum, & Martyrum quorumdam

nomina recenſentur. Idque prætereà confirmatur teſtimonio Cypriani *epiſt.* 37. ubi petit annotari, & ad ſe ſcribi diem mortis ſingulorum Martyrum, ut poſſet nominatim in die anniverſariâ paſſionis eorum, in eorumdem honorem ſacrificium offerre. Hæc ſunt verba Cypriani: *Denique & dies eorum, quibus excedunt, annotate: ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare poſſimus; quanquàm Tertullus fideliſſimus, & devotiſſimus frater noſter pro cæterâ ſolicitudine, & curâ ſuâ, quam fratribus in omni obſequio operationis impertit, (qui nec illic circà curam corporum deeſt) ſcripſerit & ſcribat, ac ſignificet mihi dies, quibus in carcere beati fratres noſtri ad immortalitatem glorioſæ mortis exitu tranſeunt, & celebrentur hìc à nobis oblationes, & ſacrificia ob commemorationes eorum.* Eâ autem Cyprianus motus eſt ratione, quam Divus Auguſtinus affert *lib.* 10. *de Civit. Dei, cap.* 6. *& lib.* 22. *cap.* 10. *quòd* ſcilicèt *in ſacrificio Altaris ſignificatur generale ſacrificium, in quo immolatur univerſum Chriſti corpus*, quod certo quodam modo (ut ſuperiùs diximus) Sanctorum cum eo felicitèr regnantium agmine compaginatur, teſte Bellarmino *de Miſſis lib.* 2. *cap.* 8.

Quod verò Martyribus olim præſtare Eccleſia ſolebat, procedente tempore, Confeſſoribus, etiam exhiberi cœpit; ac ut alios antiquiores omittamus, Cardinalis Petrus Damiani *in Vitâ Sancti Romualdi capite* 72. ſic ſcribit: *Poſt quinquennium à Sancti viri obitu data eſt Monachis ab Apoſtolicâ Sede licentia, ut ſuprà venerabile corpus Al-*

tare

tare conſtrueretur. & *in Epiſt.* 29. *ad Henricum Archiepiſcopum Ravennatenſem*, quæ habetur *tom.* 3. *Biblioth. Sanctorum Patrum*, teſtatur de aliis pleriſque Confeſſoribus, ſuprà quorum corpora, Altaria fuerunt erecta: *Noſtrâ quippè ætate* (tradit) *Beati Viri*, *Romualdus Camerinenſis*, *Amicus Ratiſponenſis*, *Guido Pompeſianus*, *Firmanus Firmenſis*, & *quamplures alij ſanctæ converſationis ſtudio floruerunt*, *ſuper quorum videlicèt veneranda cadavera*, *ex ſacerdotalis Concilij auctoritate*, *ſacra ſunt Altaria erecta*, *ubi nimirùm divina myſteria*, *miraculis exigentibus*, *offeruntur*. Et paulò poſt meminit de B. Arduino Presbytero; ubi Baronius ad *ann.* 1027. *tom.* 11. *num.* 24. *Conſtat autem*, ait, *ipſum*, (ſcilicèt Romualdum) *in Sanctorum numerum adſcriptum*, *eo tantùm ritu*, *qui tunc erat in uſu*, *nempè ut petentibus concederet Apoſtolica Sedes*, *ut ſuprà corpus defuncti Altare conſtrueretur*. Concedere autem licentiam ex Synodali Decreto, ut ſuprà corpus defuncti erigeretur Altare, hoc ipſum erat, (addit Baronius *ad annum* 993. *num.* 5.) inter Sanctos annumerare. Idem verò per ſecula intermiſſum, *in litteris Canonizationis Sanctæ Franciſcæ Romanæ*, *datis* 4. *Kalen. Iunij* 1608. §. 40. laudabilitèr reſtituit Paulus Quintus his verbis: *Statuentes*, *ut ab univerſali Eccleſiâ in ejus honorem Eccleſiæ*, & *Altaria*, *in quibus ſacrificia Deo offerantur*, *ædificari*, & *conſecrari poſſint*.

Vel tandem Eccleſia Sanctorum cultum Dei Servis adjudicare conſuevit, indictione feſtivitatis

eorum, vel appoſitione, & recitatione nominis illorum in Kalendario Sanctorum, ut liquet *ex literis prædictis Paſchalis Secundi datis Signiæ 2. Non. Iunij ann.* 1110. ubi hæc tantùm, quæ ad ritum, & ſolemnitatem pertinent, verba recenſentur: *Auctoritate præſentium vobis licere volumus, & mandamus, quatenùs 3. Nonas Auguſti diem Natalis ejuſdem Confeſſoris, & Præſulis memorandi* (Petri ſcilicèt Anagniæ Epiſcopi) *Sanctorum catalogo congruè celebrem recolatis.* Eodemque anno, quo Simeon Anachoreta obierat, prorſus idem de illo egiſſe Benedictum IX. affirmat Trithemius *in Chronico Hirſaugienſi, anno* 1037.

Primam verò Canonizationem majori cum ſolemnitate peractam ſummâ eruditione, & mirâ dicendi facultate aſſeruit, nunquàm ſatis laudatæ memoriæ, Alexander VII. in ſuâ ad Cardinales, & Epiſcopos oratione, habitâ in Conſiſtorio ſemipublico de B. Thomâ à Villanovâ inter Sanctos referendo. Aſſeruit ille, à Leone III. inſtantibus Carolo Magno, & Hildebaldo Archiepiſcopo Colonienſi, B. Suvibertum ſolemni ritu inter Sanctos relatum VVerdæ, ſalutis anno 804. prævijs Miſſarum ſolemniis, per præfatum Archiepiſcopum peractis, ac narratione eorum, quæ de vitâ, & miraculis Beati viri coràm expreſſa fuerant; ſolâ tamen pronunciatione Summi Pontificis, & ſubſecutis tantùm cantu Hymni *Te Deum laudamus*, & elatione corporis Canonizati. Hæc ſunt verba, quæ de his protulit Sanctus Ludgerus *in Epiſt. ad Rixfridum Epiſc. Trajectenſ.*

ctenſ. cap. 9. relat. à Sur. die 1. Mart. tom. 2. Alterâ verò die, quæ fuit pridie nonas Septembris, omnes tàm Papa S. Leo, quàm Carolus Imperator, & alij convenientes in Eccleſiam, & Conventum B. Suviberti, ibi oratione finitâ omnium convenientium in Eccleſiâ, ſtatim celebrante ſolemnitèr ſummam Miſſam Felice Hildebaldo Colonienſi Archiepiſcopo, & ſanctiſſimâ vitâ ipſius cum innumeris miraculis conſcriptâ per venerabilem Presbyterum Marcellinum ſocium, & conteraneum ipſius Sancti ibidem lectâ, Papa Sanctus Leo de aſſenſu paritèr, & conſenſu ſuorum Cardinalium, cæterorumque Prælatorum illic coràm adſtantium, ſolemnitèr catalogo Sanctorum Confeſſorum ipſum adſcripſit. Quo facto, pulſatâ campanâ Conventus per aliquot horas (hoc ſanè adhuc noſtris temporibus viget) *ad honorem Dei, & gloriam ipſius Sancti, cùm per dulcia modulamina laudum Fratres* (nempè Cardinales, & Epiſcopi) *devotiſſimè Deo rependiſſent gratias, cantando humilitèr Hymnum Te Deum laudamus; cùm Reliquiæ ſiuè oſſa ipſius ex monumento in præſentiâ Sanctiſſimi Apoſtolici Leonis, & Caroli Imperatoris, cæterorumque, per præfatum Archiepiſcopum Colonienſem tollerentur devotè, maxima dulciſſimi odoris in eodem loco cælitùs effuſa eſt fragrantia, cujus ſuavitas omnium ora, & corda adſtantium reficiebat; itaut nullus ambigeret, ibidem adeſſe Angelorum Choros. Facta ſunt hæc Pridie Nonas Septembris, &c. Statuit inſuper Sanctiſſimus Papa Leo, illum diem Canonizationis, & exaltationis S. Suviberti egregij Epiſcopi, perpetuis temporibus per totum oppidum à cunctis Incolis*

Verdæ valdè celebrandum, ob honorem S. Suviberti Apostolici Episcopi. Obtulit autem idem Sanctus Papa eidem Ecclesiæ spirituales Indulgentias cunctis fidelibus, celebrantibus festum S. Suviberti Episcopi, & ad divina confluentibus. Hæc S. Ludgerus.

Harum Indulgentiarum largitionem, ad hæc vsque tempora in Canonizationibus servatam, indè originem hausisse existimo, quòd olim primis Ecclesiæ seculis, lapsi ad carceres commeabant, ut à Confessoribus Christi, antequàm hi ad supplicium ducerentur, literas, quæ ideò confessoriæ, vel libelli pacis appellatæ sunt, obtinerent: illæque ad veniam, & communionem ab Episcopis impetrandam, sibi ultrò suffragarentur. Confessores verò vicissìm petentium desideria ponderantes, & singulorum rationes, ac merita, delictorumque genera expendentes, pacem nonnullis attribui annuebant, eamque literis, seù libellis à se subscriptis signatam interdum sanguine ad Episcopos destinabant; quæ tamen literæ nullius erant ponderis apud ipsos Episcopos, nisi post glorioſum eorumdem Confessorum exitum: ut Emanuël Gundisalvus Tellez eruditè quidem ostendit *in Notis ad Concilium Illiberitanum lib. 2. cap. 51. vers. Postremò alibi.* Nec ideò lapsi alio, vel magis opportuno, & acceptabili tempore literas confessorias, pacisque libellos hujusmodi Episcopis præsentabant, quàm secuto martyrio, & in eorumdem Martyrum Canonizatione. Quæ tunc eâ tantùm solemnitate celebrari consueverat, ut accepto nuncio accersitionis (ut vocat

cat Cyprianus *Epist.* 22. *& sub fin. lib. de exhortat. Martyr. ad Fortunatum*) nempè consummationis Martyrij, vindicatorum eorumdem Martyrum nomina statim in Diptychis Ecclesiasticis, hoc est in Canone apponerentur; vndè & Canonizationis vox ortum habuit, ut asserit Cabassutius *in Notit. Concilior. ad Concil. Laodicæn. Can.* 15.

Episcopi igitur acceptis tunc Martyrum libellis, ad eorum preces, super-erogata ab ipsis satisfactionis opera, quasi commendatis suis determinatè applicata sibi viderentur, utique Indulgentiarum hujusmodi largitores designati, eos à pœnâ, & illius reatu absolutos ad communionem Ecclesiæ revocabant: præviis tamen lapsorum exomologesi, scilicèt confessione, ac ipsorummet Episcoporum, vel Sacerdotum manûs impositione. Vt modò eadem super-erogationis operum Sanctorum copia, & præcipuè ob Christi satisfactionem, ac meritum excedens omnem pœnam à viventibus debitam, tùm in præsenti vitâ, tùm in purgatorio persolvendam, non determinatè pro aliquo, in communi Ecclesiæ Aerario conflâta, singulis per modum suffragij, pro justo arbitrio, & pro prudentiâ illius, qui Ecclesiæ præest, Romani Pontificis distribuitur; ut egregiè insinuat Divus Thomas *in complem. quæst.* 25. *art.* 1. Et sanè sublime Petro traditum privilegium: *Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cælis*: ampliſſimum, ac generale, parùm conferret, nisi etiam ex redundantiâ meritorum Christi, & satisfactionis Sanctorum compre-

hen-

henderet ſolutionem à reatu pœnæ temporalis, quam quis ſecundùm Dei judicium meretur in purgatorio : dum Eccleſia ſolas pœnitentias ex Canonibus ſtatutas, prout illas injunxerat, ità quoque relaxare valuiſſet. Immò (ut ibidem aſſerit Divus Thomas) *Si temporales tantùm pœnas in hac vitâ ſuis hiſce Indulgentijs Eccleſia relaxaret, damnificaret magis, quàm adiuvaret, dum remitteret ad graviores hoc eſt ad purgatorij pœnas.*

Verùm ſucceſſu temporis, nimiâ Sanctorum Confeſſorum indulgentiâ lapſis abutentibus, & confictas, vel anonymas, aut non expreſſis in eis lapſorum nominibus generales literas exhibentibus; veriti Patres, ac præcipuè Tertullianus *lib. ad Martyr. cap.* 1. & Cyprianus *lib.* 3. *epiſt.* 15. ne indè Eccleſiaſticæ diſciplinę rigor nimiùm infringeretur, & relaxaretur, acritèr reclamarunt. Itàque Eleberiana, ſivè Eleberritana Synodus *Can.* 25. ubi fusè Binius *in Notis lit. I.* nec-non Synodus Arelatenſis prima *Can.* 6. ſimiles literas, & libellos cautè executioni mandari ſanciverunt, vel omninò vetuerunt; ac deinceps Romanus Pontifex ex ſatisfactionibus, & Chriſti meritis, ac Sanctorum item ſatisfactionibus, quæ in Eccleſiæ theſauro continentur, juſtus, & fidelis diſpenſator extitit, eaſque per Indulgentias, in Canonizationibus, undè eædem ſcatêre cœperunt, fidelibus elargiri non prætermittit. Nec ineptè dixerim uſum diſtribuendi Indulgentias, præſertìm in Canonizationibus Sanctorum ſumpſiſſe initium à tempore vetuſtiſſimorum Martyrum

tyrum, quo Episcopi soliti erant, ad illorum preces, Indulgentiam lapsis concedere, tùm ut Martyres ipsos honorarent, tùm ut accenderent lapsos, & fideles reliquos ad martyrium consummandum, tùm denique, ut illorum merita petentibus communicarent, eorumque satisfactiones ad satisfactionem, quæ lapsis deerat, ipsis applicatæ suffragarentur.

Earumdem tamen Indulgentiarum diversa ratio à Romanis Pontificibus in Canonizationibus Sanctorum habita est; siquidem Honorius III. *liter. dat. Reate 3. Idus Decembris anno* 1225. in Canonizatione S. Laurentii Archiepiscopi Dublinensis, visitantibus Ecclesiam, in quâ corpus Sancti quiescit, die eidem sacrâ, viginti dies de injunctis sibi pœnitentiis relaxavit. Gregorius IX. *lit. Canoniz. S. Antonij de Paduâ dat. Spoleti Kal. Iunij, anno* 1233. unum annum. Hisque adjecit quadraginta dies Innocentius IV. in Canonizatione Sancti Eadmundi *lit. dat. Lugduni 3. Idus Ianuarij* 1247. & in Canonizatione S. Petri Martyris addidit præterea per quindenam quadraginta dies *lit. dat. Perusii 9. Kal. Aprilis, anno* 1253. Clemens autem IV. in Canonizatione S. Heduvigis infrà octavam centum dies, *lit. dat. Viterbij. 7. Kal. Aprilis* 1267. Calixtus III. ad S. Vincentii Valentini corpus die ejusdem festo septem annos, & totidem quadragenas *lit. expedit. à Pio II. Kal. Octobris* 1458. Quibus Sixtus IV. in Canonizatione S. Bonaventuræ adjecit singulis Dominicis per annum centum dies, *lit. dat.* 18. *Kal. Maij*

1482. Leo X. ad corpus Sancti Franciſci de Paulâ quadraginta annos, & totidem quadragenas, *lit. dat prim. Maij*, 1519. Hadrianus VI. in Canonizatione S.Bennonis *lit.dat. prid. Kal. Iunij* 1523. primus omnium præſentibus Canonizationis ſolemnitati Indulgentiam plenariam conceſſit;quæ deinceps à cæteris Romanis Pontificibus,in ſingulis hujuſmodi ſolemniis elargiri conſuevit; eamque Clemens VII. extendit etiam ad eos, qui tunc Florentiæ translationi corporis S.Antonini intereſſent,*lit. dat. 6. Kal.Decemb. anno* 1523. Hæ tandem à Gregorio XV. in Canonizatione quinque Sanctorum, ad priſcum Prædeceſſorum ſuorum morem redactæ ſunt, nempè ad unum annum, & quadraginta dies: & ab Alexandro VII. ad ſeptem annos, & totidem quadragenas in Canonizatione S. Thomæ de Villanovâ. Verùm de his hactenùs.

Ex Canonizatione Sancti Suvibérti, hujuſmodi ſolemnia, illiuſque ritus originem ſumpſerunt: quæ tamen iis tantummodò partibus conſtabant, ſcilicèt quòd Pontifex de more audito ſacro, in conventu Cardinalium, & Epiſcoporum, deque eorum conſilio Dei Servum cum Deo regnantem pronunciaret; & ſi ibidem corpus Beati exiſteret, elevaretur, & fidelium venerationi exponeretur; ejuſque feſto anniverſario palàm indicto,Chriſti-fidelibus ad illud confluentibus Indulgentiæ elargirentur.

Ità ſanè Gregorium Nonum Aſſiſii anno 1228. egiſſe aſſerit Albertus Crantzius *lib.7.Metrop.c.45.*

&

& lib. 8. *Saxon. cap.* 4. in Canonizatione S. Francisci Seraphicæ familiæ Proto-parentis, his verbis: *Papa Gregorius, veniens Assisium canonizavit ibi in conspectu maximæ multitudinis, quæ de diversis regionibus confluxerat, B. Franciscum, sic dicens altâ voce: Ad laudem, & gloriam Omnipotentis Dei Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & gloriosæ Virginis Mariæ, & Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, & ad honorem Ecclesiæ Romanæ, Beatissimum Patrem Franciscum, quem Dominus glorificavit in Cælis, venerantes in terris, de consilio Fratrum nostrorum, & aliorum Prælatorum, in catalogo decrevimus Sanctorum annotandum: & festum in die obitus sui celebrari. Statim Cardinales, Te Deum laudamus, incipiunt, & populi in laudes voces depromunt. Papa de solio descendit, & cum Cardinalibus sanctum corpus levavit de tumbâ, mirâ omnium alacritate.* Nec diversæ intentionis fuisse liquet Alexandrum III. in Canonizatione Sancti Eduardi Regis Angliæ, si corpus coràm extitisset; inquit enim *in lit. super eâ expeditis Anagniæ 7. Idus Februarij, anno* 1161. *Corpus ipsius* (scilicet Eduardi) *Confessoris ità glorificandum censuimus, & debitis præconijs adorandum in terris, sicut eumdem Confessorem Dominus per suam gratiam glorificavit in Cælis; undè videlicèt inter Sanctos Confessores de cætero numeretur.* Idipsum confirmant literæ Canonizationis Sancti Thomæ Cantuarienſis ad Priorem, & Monachos Cantuarienſis Ecclesiæ *dat. Signiæ* 4. *Idus Martij* 1173. quæ habentur *in tom.* 12. *Baron. ad annum* 1173. *lit. A. ex Cod. Vatic. desumptæ*, in quibus hæc haben-

habentur: *Discretioni Vestræ Apostolicâ auctoritate mandamus, quatenùs corpus ejus* (scilicèt S. Thomæ) *devotè, & reverenter, factâ solemni processione, aliquo solemni die, congregato Clero, & populo, in Altari honorificè recondatis, aut ipsum in aliquâ decenti capsâ ponentes, prout convenit, elevetis in altum.*

Satis itàque, quòd sine Missarum solemniis Canonizationes olìm celebrarentur, prædicta significant, nec parùm confirmant ea, quæ Lentinus Patriarcha Hierosolymitanus S. Petri Martyris coævus, de illius Canonizatione scripsit à Surio relata *die 29. April. tom. 2. circà fin.* his verbis: *Vbi* Innocentius IV. *perspicuè cognovit famam vinci rerum veritate, majoraque comperisset, quàm ad ipsum perlata fuerant, de communi consilio Cardinalium, & Prælatorum omnium, qui per id tempus apud Sedem Apostolicam residebant, 9. Kal. Aprilis, nondum exacto post martyrium anno primo, illum Perusii in plateâ Ecclesiæ Fratrum Dominicanorum, adstante ipsi, Cleri, plebisque, itemque Religiosorum, nobilium, ac procerum multâ frequentiâ, alijs ubertìm flentibus præ gaudio, alijs Deum magnâ voce laudantibus, universis denique mirificè tripudiantibus, & solemni ritu diem festum celebrantibus, cum mirabili cereorum ardentium multitudine, & eximio sacrarum vestium apparatu, Sanctorum Martyrum catalogo statuit adscribendum.*

Cereorum (inquam) ardentium multitudine, quorum copia in Canonizationibus adhuc solet adhiberi, & de quâ Raynaldus *ad ann. 1253. n. 18.* in Canonizatione S. Stanislai Episcopi Cracovien-

sis

sis mentionem facit, usus verbis Longini *in hist. Pol. lib. 7. ad ann.* 1253. quæ hæc sunt: *Tunc itàque mirum in modum stupentibus, & gaudentibus, ardentesque cereos, & luminaria accensa, ut Ecclesiam arsisse putares, gestantibus, &c.* & Antonius de Butrio *in cap. Audivimus. de Reliq. & venerat. Sanctorum*, post indicata varia requisita ad Canonizationem, ait: *Nonò assignatur certa dies, ut omnes conveniant ad certam Ecclesiam; certâ die illuminentur cerei*: non vtique ad fugandas tenebras, sed tantùm *ad signum lætitiæ demonstrandum*, ut asserit D. Hieronymus *in Epist. ad Riparium adversùs Vigilantium Hæreticum*, qui dolens hunc honorem Martyrum Reliquijs exhiberi, calumniabatur, ritum Gentilium (hi enim teste Svetonio *in Tiberio c.* 98. ad sepulcra defunctorum faces accendere soliti erant) in Ecclesiam inductum esse, ut *fulgente Sole moles cæreorum accenderetur*.

Liquet igitur, sine sacrificio, sine Arâ, non in Ecclesiâ, sed in mediâ Vrbis plateâ, Canonizationis celebritatem, nempè solemnem Sanctorum promulgationem, olim ritè peractam fuisse.

Præterea in Aulis Conciliorum (si vel extrà Ecclesiam ea cogi contingebat) Sanctorum Canonizationem fieri consueviſſe ostenditur ex ijs, quæ statuit Ioannes XV. in Synodo Romanâ coactâ in Palatio Lateranensi prid. Kalen. Februar. ann. 993. vt constat *ex lit. ibid. dat.* ab eodem Pontifice, qui post lectam, & respectivè auditam narrationem eorum, quæ de Dei Servo Vdalrico Episcopo Augustano,

Lui-

Luitholphus Auguſtæ etiam Antiſtes congeſſerat, ſolâ verbali declaratione eum inter Sanctos Confeſſores adſcripſit. Atque idem egerunt Leo IX. in Synodo Romanâ 4. ſub eodem Pontifice celebratâ, ann. 1053. de S. Gerardo Leucorum Epiſcopo: & Innocentius II. in Concilio Piſis coacto, anno 1134. de S. Hugone Epiſcopo Gratianopolitano, *lit. dat.* 10. *Kalen. Maij ad Guigonem Priorem Carthuſienſem apud Sur. die prim. April tom.* 2. *& Baron. ad eumd. ann.* 1134. *lit. B.* Immò etiam abſente Summo Pontifice idipſum egit Concilium Conſtantienſe ſub Ioanne XXII. anno 1414. de Sancto Roccho Confeſſore, ut Baronius affert *in not. Martyrologij ad diem* 16. *Auguſti*: eâ tamen additâ ſolemnitate, quòd, ſtatìm Canonizatione peractâ, imago ejuſdem Sancti per Civitatem Conſtantiæ cum magnâ pompâ circumlata eſt. Vndè Vexillorum uſus in Canonizationibus, eorumque ſolemnis proceſſio initium ſumpſit; quamvis tunc id factum fuiſſe conſtet, ad arcendam peſtiferam luem, quæ per totam Vrbem dirè graſſabatur, impetratâ à Deo, S. Rocchi interceſſione, non ſine inſigni miraculo, ſanitate, omnium votis & precibus expetitâ.

Adeò autem declarandi Sanctos cum Deo regnantes in Conciliis Generalibus, eâ ætate mos vigebat, ut Pontifices, ſi quem Sanctum libuiſſet extrà Concilium declarare, ſe id præter morem Eccleſiæ agere profiterentur, ut apertè oſtendunt literæ Eugenii III. *de Canonizatione Henrici Imperatoris*

toris ad Episcopum, & Canonicos Bambergenses, datæ Transtyberim 2. Idus Martij anno 1152. in quibus §. 2. hæc habentur: *tametsi hujusmodi petitio nisi in generalibus Conciliis admitti non soleat: auctoritate tamen S.R.E. quæ omnium Conciliorum firmamentum est, petitionibus vestris acquievimus, atque ejusdem memorabilis viri* (scilicèt Henrici) *cujus exaltationem requiritis, de Fratrum nostrorum Archiepiscoporum, & Episcoporum, qui præsentes aderant, communicato consilio, memoriam inter Sanctos de cætero fieri censemus.* His item similia habentur *in lit. Alexandri III.* Canonizationis S.Eduardi Regis Angliæ, *dat. Anagniæ 7. Id. Februarij ann. 1161.* §. 1. *in fin.* his verbis: *Quamvis negotium tàm arduum, & sublime, non frequentèr soleat, nisi in solemnibus Conciliis de more concedi.*

Cùmque Archiepiscoporum, & Episcoporum in hujusmodi negotiis consilium interdùm adhibere consuevissent Romani Pontifices; jure opinor hinc inductum esse, ut etiam nunc Episcoporum vicinorum præsentia adhibeatur. Quod primò in Canonizatione S.Ioannis Gualberti factum fuisse innuunt literæ Cælestini III. *datæ Laterani 2. Non. Octob. ann. 1193.* ubi §. 2. hæc extant: *Visum itàque est nobis, & communi consilio Fratrum insedit, & vicinorum Episcoporum, &c.*

Ex iis, quæ hactenùs diximus, certum redditur, Sanctorum Canonizationem perfici solo Pontificis, Christi Vicarii, judicio, & sententiâ super sanctitate, & gloriâ defuncti, ex testimonio sanctitatis morum, & veritatis signorum, non verò Missæ Pontificiæ

tificiæ ſacrificio, quamvis id in Sancti honorem maximè cedat: & Pontifices celebrare, cùm per valetudinem licet, conſueverint. Invocatio ſiquidem Sancti Canonizati, etiam non celebrante Pontifice, ab eomet omnium primo de more præmittitur Miſſarum ſolemniis, poſt Hymnum *Te Deum laudamus.*

Sed neque prædicta ad Canonizationem neceſſariò requiri, comprobat factum Benedicti VIII. dicti IX. qui Simeonem Anachoretam aliorum judicio, & arbitrio, Sanctum pronunciandum, ac primò invocandum commiſit literis relatis *par. 2. lib. 3. die 26. Julij* ab Authore ligni vitæ totius Religionis S. Benedicti, quæ habentur in Caſtellino *de certitud. glor. Sanctor. in prælud. ad catalog. Sanctorum Canonizator.* §. 4. vbi hæc ſcribit: *Si ità coruſcat miraculis, ut veſter homo nobis aſſeruit, ædificate Eccleſiam, collocate in eâ idem* (Simeonis corpus) *juxtà quod, Altare conſecrari rogate, in quo reliquiæ antiquorum SS. recondantur cum ſacratiſſimo Corpore D. N. IESV Chriſti*; (ſine quo, ubi præſertim Reliquiæ Martyrum haberi non poterant, Altaria conſecrari tunc vetitum erat, *De conſecrat. diſtinct. 1. cap. Placuit*. ubi Gloſſ. *Corpus* interpretatur *Chriſti Corpus*; eique adhæret Durandus *in Rational. divinor. offic. lib. 1. cap. 7. de Altar. conſecrat. num. 23.*) *Et ſic demùm divina myſteria celebrantes, tractate eum ut Sanctum.* Hæc Benedictus. Cujus veſtigia ſecutus eſt Clemens III. *lit. relat.* à Baronio *ad ann.* 1189. *lit. E. dat. Laterani, 3. Kal. Maij Pont. ann. 2. ad Epiſcopos Merſeburgenſem, & Eiſtetenſem*, quibus delegavit

vit potestatem declarandi Sanctum, Ottonem Episcopum Bambergensem, his verbis vsus: *Discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenùs de vitâ ipsius,* (nempè Ottonis) *& miraculis diligentiùs inquiratis, quæ Nobis fuerunt per multorum literas indicata; & si non inveneritis aliquid, quod obsistat, ipsum Canonizatum auctoritate freti Apostolicâ solemniter, & publicè annuncietis.* Sylvestro autem *cap. 6. quæst. 1.* & Azorio *par. 2. lib. 5.* asserentibus Ottonem præfatum inter Sanctos relatum fuisse à Cælestino II. anno 1139. in Synodo Lateranensi, nulla fides adhibenda videtur contrà literas à Clemente III. post lapsum quinquaginta annorum emanatas; cùm prorsùs impossibile reddatur, ut Summus Pontifex ad inquirendum de jam Canonizato literas dederit. Recens tandem afferemus exemplum, si Ferrario credimus, cui adstipulatur Baronius *in Notis ad Martyrolog. ad diem 6. Octob.* & consentiunt Diaria Paridis de Grassis, in quibus nec verbum recensetur de solemni Canonizatione S. Brunonis, quem Ferrarius *in Catalog. Sanct. die 6. Octob.* tradit, absque ullâ solemnitate, vel ritu publico à Leone X. inter Sanctos relatum fuisse.

Igitur satis clarè patet, quòd Summi Pontifices nullam rem, præter auctoritatis Apostolicæ delegationem, vel nullam solemnitatem, in Canonizationibus interdùm præstiterint, aut adhibuerint; idemque confirmant vetusta, & moderna Cæremonialia. Siquidem antiquissimus Ordo Romanus, (quo Pontifices usos fuisse constat à tempori-

bus Stephani III. saltem usque ad Alexandrum IV.) nec verbum continet de cæremoniis servandis in Canonizationibus Sanctorum. Diversâ itàque ritûs ratione, prout libuit, ad ea usque tempora eædem peractæ fuerunt.

Accessit subindè Cæremoniale antiquum, quod prodiit in lucem inter antiquissimum Ordinem Romanum, & Cæremoniale modernum, quod sanè post Alexandrum IV. editum fuisse comprobat Ordo processionis Romanæ Curiæ in eo contentus; post Fratres enim Dominicanos, & Franciscanos recensentur Fratres Augustiniani: quorum diversas Congregationes in unam Eremitarum S. Augustini professionem, & regularem observantiam sub uniformi habitu univit idem Alexander IV. an. 1256. *lit. dat. Laterani 4. Non. Maij*: à quo tempore Augustiniani ad processiones Romanæ Curiæ admissi sunt. Veriùs tamen Cæremoniale præfatum editum fuisse asserimus, temporibus Clementis VI. anno circitèr 1347. Siquidem reperitur in Bibliothecâ Vaticanâ antiquus Codex MSS. sub eodem Pontifice, signatus *num.* 4757. quod opinamur esse Originale ejusdem Cæremonialis; est enim eidem prorsùs conforme, ibique *pag.* 30. de verbo ad verbum ea ipsa leguntur, quæ habentur in prædicto Cæremoniali, ac signantèr in Rubricâ *De modo, qui communitèr servari consuevit, circà Canonizationem alicujus Sancti*, ubi non absimilis ritus, in moderno Cæremoniali expressus, legitur. Ex Diariis verò benè probatur, antiquo hoc Cæremoniali

usos

usos fuisse Pontifices usque ad Leonem X. nam eo sedente, Marcellus, electus tunc Archiepiscopus Corcyrensis, modernum edidit Cæremoniale; in quo, ut superiùs retulimus, absoluto ritu Canonizationis, de Missæ sacrificio per Summum Pontificem, vel per aliquem Cardinalem peragendo, nonnulla memorat prorsùs conformia iis cæremoniis, quas Pius Secundus servaverat in Canonizatione Sanctæ Catharinæ Senensis. Hic enim Pontifex sacrorum rituum peritissimus, & olim Apostolicarum Cæremoniarum Magister, (ut apparet ex Concilio Basileensi *sess.* 38. *in Decreto confirmat. nominat. ad eligen. Pap.* §. *Pro Clericis cæremoniarum*) solemnitatem ad id usque tempus retentam servavit, vel instituit; decretâ, aut expurgatâ formâ sententiæ, quam primò in Canonizatione S. Brigittæ Viduæ, Bonifacium IX. adhibuisse constabat *ex lit. ejusdem dat. Non. Octob.* 1391. Immò non solemnitatis tantùm formam, quam adhuc retinent Romani Pontifices, prædictum Pium II. tradidisse patet; verùm etiam si attentè inspiciantur illius literæ de Canonizatione præfatæ S. Catharinæ Senensis *datæ* 3. *Kal. Maij* 1461. reperietur, ab eo traditam, vel ad unguem servatam fuisse formam procedendi in causis Canonizationum ad prescriptum Sanctionis Alexandri III. & Ostiensis *in cap. Audivimus. de Reliq. & venerat. Sanctor.* Eumdem autem Alexandrum III. primum omnium Pontificum missarum solemnia peregisse in Canonizatione S. Thomæ Cantuariensis, colligitur ex

Codice Vaticano MSS. *de vitâ ipsius Alexandri* his verbis. *In die Purificationis B. Mariæ, convocatis Episcopis, & Abbatibus Campaniæ apud Signiam ad honorem ipsius specialitèr Missarum solemnia celebravit.*

Certo certius itàque est, cum Missæ sacrificio per alium peracto, vel sine ejusdem solemniis, sæpè Canonizationes Sanctorum peractas fuisse, easque ritè per Summum Pontificem, iuxtà Cæremonialis dispositionem,& praxim olim servatam, idoneisque rationibus suffultam, demandatis alteri Missarum solemniis, posse celebrari.

Libeat nunc quædam notatu digna, quæ ex curiosâ lectione Bullarum hausi, quæque ad Sanctorum Canonizationem spectant, paucis subnectere.

Interdùm Romanos Pontifices(ut nostris etiam temporibus fieri solet) ad preces Imperatorum, & Regum, Dei Servos albo Sanctorum olìm adscripsisse, liquet exemplo Canonizationis S. Suviberti, quam Leo III. instante Carolo Magno,primùm solemni ritu peregit,ut suprà fusè probavimus. Nec hujusmodi nostræ assertioni refragantur ea, quæ affert Castellinus *de certitud.glor. Sanctor. in Prælud. ad catalog. SS. Canonizat.* §. 3. de Sanctis Kiliano, Colomano, & Totnano Martyribus, supplicante S. Bruchardo Herbipolensi Antistite, à Zachariâ Papâ solemni more inter Sanctos relatis,anno 751. (seù veriùs 752.)hæc subdens: *Ex quibus conijci potest, quòd non à tempore Leonis Tertij, sed multò anteà incœperat ritus solemnis Canonizationis in Ecclesiâ Romanâ Sanctâ, & Apostolicâ. Canonizatio enim*

S. Trud-

S. Trudperti Martyris ex familiâ S. Ruperti Episcopi Salisburgensis ab omnibus ferè existimatur prima inter illas solemni ritu à Pontifice Romano celebratas, quæ incidit, ut nonnulli testantur, in annum Domini 770. tempore Stephani Quarti, communitèr Tertij, appellati. Quasi crediderit Castellinus, quotquot Canonizationes à Summis Pontificibus olìm peractæ sunt, eas solemni semper ritu celebratas fuisse. Allêgat verò Baronium *ad an. 993. num. 5. vers. Non est autem prætermittendum:* ac si is asserat, tunc in Ecclesiâ Romanâ usum canonizandi Sanctos solemnibus cæremoniis extitisse frequentem: contrarium tamen ibi probat Baronius, dùm Canonizationes Sanctorum refert ad illam Canonizationis formam, quâ Sedes Apostolica sine aliquâ solemnitate concedebat, ut suprà corpus Servi Dei Altare construeretur: de quâ suprà latè, & copiosè diximus. De SS. verò Kiliano, Colomano, & Totnano, non secùs servatum fuisse, innuunt antiqua carmina ab eodem Baronio relata *ad an. 689. num. 19.* his conceptis verbis:

Septingentesimo, quinquagesimoque secundo
A Bonifacio, Burkardo consociato,
Hi sunt sublati, ritè quoque canonizati.

ab antiquo videlicèt sepulcro ad Altare delati. Demùm Trudperti historiam reijcit Bollandus *ad diem 27. Martij*, agens de S. Rudbérto, seu Ruperto Episcopo Salisburgensi, ubi §. 3. sic ait: *Multò magis suspecta est illa de S. Rudberto historia, ex quâ anni isti 44. accipiuntur, utique post multa secula satis imperitè*

peritè compilata ex antiquioribus monumentis mox infrâ citandis, & quâdam S. Trudberti passione ad 25. Maij castigandâ, atque ea quibusdam Boicarum Originum fabellis.

Aliquandò etiam ad preces Reginarum, Dei Servi inter Sanctos adscripti sunt, nempè Sancta Brigitta, instante Margaritâ Sveciæ Reginâ, *lit. Bonifacij IX. dat. Nonis Octobris* 1391. §. 51.

Ad preces Prælatorum in Curiâ existentium, in Sanctorum numerum relatos fuisse patet S. Petrum de Morono, olim Cælestinum V. *ex lit. Clementis V. dat. ann.* 1313. §. 27. S. Ludovicum Episcopum Tolosanum *ex lit. Ioannis XXII. dat. 7. Idus Aprilis* 1317. §. 29. S. Thomam Episcopum Herefordensem *ex literis ejusdem Ioannis XXII. dat.* 15. *Kalend. Maij* 1320. §. 23. & S. Thomam Aquinatem *lit. ejusdem dat.* 15. *Kal. Augusti* 1323. §. 21.

Primò decretam fuisse diem Canonizationis in Consistorio generali, recenset Nicolaus V. in Canonizatione S. Bernardini Senensis, *lit. dat.* 9. *Kal. Iunij anno* 1450. §. 16.

Quòd in Consistorio secreto, Cardinales Commissarij primò retulerint Acta omnia in causis Canonizationum, colligitur ex literis Canonizationis S. Heduvigis à Clemente IV. *dat. Viterbij* 7. *Kal. Aprilis, an.* 1267.

Primùm verò in Consistorio semipublico, idipsum peractum fuisse ab antiquiore ex Cardinalibus Commissariis, legitur *in lit. Canonizat. Sanctæ Catharinæ Senensis dat.* 3. *Kal. Maij* 1461. §. 10. & 14.

Inter-

Interdùm Summi Pontifices in ipſo Canonizationis actu ſermonem habuerunt ad populum de ſanctitate vitæ, virtutibus, & miraculis Canonizandi; ut oſtendit idem Pius II. *in præfat. lit. Canonizat. S. Catharinæ Senenſis* §. 15. Idipſum egerunt Innocentius VIII. in Canonizatione S. Leopoldi Marchionis Auſtriæ, ut apparet *ex lit. dat.* 8. *Idus Ianuar.* 1485. §. 15. Leo X. in Canonizatione Sancti Franciſci de Paulâ *ex lit. dat.* 1. *Maij* 1519. §. 39. & Hadrianus VI. in Canonizatione SS. Antonini, & Bennonis, ut refert Blaſius de Cæſenâ *in Diar. die Dominico, ult. Maij, ann.* 1523. Qui modus in deſuetudinem abiit, & procedente tempore, in ſemipublico Conſiſtorio fieri cœpit, & adhuc ſervatur.

Primam Canonizationem ſolemnem plurium Sanctorum ex prædictis liquet actam fuiſſe ab Hadriano VI. nempè SS. Antonini Archiepiſcopi Florentini, & Bennonis Epiſcopi Miſnenſis; & comprobat Cæſenas ubi ſuprà. Quòd verò Stephanus Vngariæ Rex, ejuſque filius Emericus ſimul quidem canonizati fuerint à Benedicto VIII. qui dictus eſt IX. Baronius affert *Annal. tom.* 11. *ad ann.* 1030. *num* 3. *& ſeq.* At non ſolemni ritu, ſed quòd ſolâ corporis elatione id actum fuerit, elicitur ex iis, quæ Surius affert. *diebus* 19. *Auguſti, & 4. Novemb.* Quòd autem SS. Patto, & Tanco Epiſcopi VVerdenſes canonizati fuerint à Summo Pontifice, Bollandus *ad diem* 16. *Februarij, & 30. Martij* agens de jiſdem SS. utitur teſtimonio Gaſparis Bruſchii *in*

Epi-

Episcopis VVerdensibus, & Bucelini *de Episcopis Germaniæ*; quòd autem simul & à Gregorio IV. sint canonizati, fides sit penès Castellinum *in Catalog. SS. Canonizator. lit. P.* Ille enim nec à quo acceperit, exprimit: nec alibi idipsum reperire potuimus. Et licèt Ciaconius asserat *in Vitâ Innocentij IV. ad an.* 1244. ab eodem Pontifice in Sanctorum numerum relatos fuisse die vigesimâ secundâ Martij, anno Pontificatûs IV. Eadmundum Cantuariensem: Stanislaum Cracovienſem: & Guillelmum Briocensem Antistites; tamen fidem illi non habemus: cùm facilè convincatur erroris ex literis super eorumdem Canonizatione expeditis. Literæ siquidem Canonizationis S. Eadmundi *dat. Lugduni* 3. *Idus Ianuar. Pontificat. ann. IV. Incarnationis Dominicæ* 1247. §. 6. apertè demonstrant, illam peractam fuisse Dominicâ tertiâ Adventûs. Canonizatio autem S. Guillelmi ibidem paritèr celebrata fuit in festo Resurrectionis Domini, ut constat *ex liter. dat.* 17. *Kal. Maij eod. an.* quas Raynaldus affert *ad an.* 1247 *num.* 24. & Canonizationem S. Stanislai Assisii factam fuisse die Nativitatis B.M.V. elicitur ex ipsis *lit. ibid. dat.* 15. *Kal. Octob. ann.* 1253. *Pont. XI.* & clarissimè ostendit Longinus *dict. lib.* 7. *hist. Polon.* relatus à Raynaldo *ad eumdem ann.* 1253. *num.* 18. ubi hæc habentur: *Natali Dominæ nostræ excellentissimæ Virginis Mariæ adveniente die, Pontifex Summus Innocentius cum Collegio Cardinalium, & multitudine Prælatorum ad Basilicam S. Francisci in Assisio, in quâ suum, & suorum sociorum corpora recondita*

sunt,

ſunt, ex Palatio, Canonizationem B. Viri Stanislai Epiſcopi Cracovienſis expleturus, deſcendit, &c.

Hujuſmodi verò ritum canonizandi unico actu plures Dei Servos Eccleſia didicit ex ore Chriſti, qui omnes ſimul Apoſtolos, adhuc in hac vitâ degentes, Sanctos declaravit verbis illis Matthæi 5. *num.* 12. *Gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in Cælis.* Et Lucæ 10. *num.* 20. *Gaudete autem, quòd nomina veſtra ſcripta ſunt in Cælis.* Atq; ex eloquio Doctoris gentium *ad Philippenſes Epiſtolâ* 4. *n.* 3. ſcribentis de Adjutoribus ſuis, *quorum nomina ſunt in libro vitæ.* Hinc autem elicuit Pater Franciſcus à S. Auguſtino Macedo (præſtanti vir ingenio, & ſcientiarum omnium peritiſſimus) in Tractatu, cui titulus *Scholæ Theologiæ poſitivæ. ſchol.* 19. *cap.* 1. *de Canoniz. Sanct.* jure optimo licuiſſe, olìm in honorem Beatiſſimæ Virginis (cui ab Angelo dictum fuit: Lucæ 1. *n.* 28. *& ſeqq. Ave gratia plena, Dominus tecum; benedicta tu in mulieribus*) & Apoſtolorum adhuc viventium Templa conſtruere. Vt eidem Beatiſſimæ Virgini S. Iacobum Majorem Cæſarauguſtę in Hiſpaniâ, & Petro Apoſtolorum Principi Antiochiæ Theophilum, & Marcum Alexandriæ egiſſe, ſuprà aſſeruimus auctoritate Euſebii, & epiſtolæ Anacleti *tertiæ ad omnes Epiſcopos, & Sacerdotes.* Siquidem Beatiſſima Virgo, S. Petrus, aliique Apoſtoli, licèt adhuc viatores exiſterent, tamen à ſanctitate excidere non poterant, ut egregiè comprobat idem Pater Macedo *ubi ſuprà cap.* 2. qui paritèr *d. cap.* 1. ſolemnem Pontificis Liturgiam ne-

quaquàm ingredi rationem formalem Canonizationis, nobiſcum exiſtimat.

Feſtivus campanarum ſonitus in Canonizatione Sanctorum, qui adhuc in more extat, nempè, ut ad Hymnum *Te Deum laudamus* poſt prolatam à Pontifice ſententiam omnes campanæ Vrbis pulſentur, deſumptus eſt à Canonizatione Sancti Suviberti, ut ſuo loco retulimus nos accepiſſe à S. Ludgero *in Vitâ ejuſdem S. Suviberti*. Et ſanè hic uſus miraculo cælitùs comprobatus fuit in Canonizatione S. Antonii de Paduâ nuncupati, de quâ Surius ad diem 14. Septembris hæc habet: *Eo autem die, quo in Sanctos relatus eſt Vir Dei, res ſtupenda accidit Vlyſbonæ. Nam & viri, & fœminæ extrà domos in plateis cantabant, & tripudiabant, & campanæ omnès totius Civitatis, nullo eas movente, concrepabant egregiè, nec poterant homines ſe cohibere, quin ſe lætitiæ, & tripudijs darent. Eâ autem re in multam illis admirationem adductis, non diù poſt ſupervenere ex Italiâ fratres, quorum relatu didicerunt, eodem ipſo die inuſitatæ lætitiæ ſuæ, Virum Beatum* (Antonium Conciuem) *in Sanctorum albo inſcriptum fuiſſe*.

Preces, & jejunia triduo antè Conſiſtorium ſemipublicum indici cœpta ſunt à Sixto IV. pro Canonizatione faciendâ S. Bonaventuræ *lit. dat.* 18. *Kal. Maij* 1482. §. 17.

De triplici inſtantiâ antè pronunciationem ſententiæ Canonizationis primò fit mentio *in ijſdem liter. præfati Pontificis* §. 19.

Commiſſionem cum facultate inquirendi primò da-

datam Auditoribus Rotæ, & Advocato Consistorialis Aulæ Palatii Pontificii, recensetLeo X. *in lit. Canoniz. S. Francisci de Paulâ*, 1. *Maij* 1519. §. 36.

Quod subindè, secluso Advocato Consistoriali, usque ad erectionem Congregationis Sac. Rituum servatum fuisse apparet ex reliquis Canonizationum literis.

Advocatum Consistorialem interdùm in publico Consistorio Acta Canonizationis retulisse, primus omnium expressit Pius II. *in prædict. lit. Canonizationis S. Catharinæ Senensis* §. 10. interdùm verò tùm in publico, tùm in semipublico (quod tunc secretum vocabatur) Leo X. *in præd. lit. Canoniz. S. Francisci de Paulâ* §. 37. *& 38.*

De relatione in scriptis redactâ ab Auditoribus Rotæ, & Pontifici traditâ, ab eoque transmissâ ad Congregationem Sacrorum Rituum examinandâ (quod usque ad noviſſima Decreta san. mem. Vrbani VIII. inviolabilitèr servatum est) primus omnium mentionem fecit *in lit. Canonizat. S. Didaci dat. Non. Iulij anno* 1588. §. 20. Sixtus V. qui *ibidem* §. 23. narrat se respondisse instantiis ei factis ab Advocato Consistoriali in Consistorio publico.

Primum in Consistorio semipublico idem Sixtus sermonem habuit de meritis Canonizandi, ut constat *ibid.* §. 24. quod subindè servatum, & ad hæc usque tempora perductum est.

Protonotarios, & Auditores Rotæ primâ vice vocatos, & admissos fuisse in Consistorium semipublicum, habetur *ex dd. lit. Sixti V. eod.* §. 24. Quam-

vis olim Auditores Rotæ, ad referendum Acta, in Consistorium secretum semel admissi reperiantur in literis expeditis à Clemente VII. super Canonizatione S. Bennonis, *dat.* 6. *Kalen. Decemb.* 1523. §. 8.

Quòd olim ad simplicem, & solam annotationem unius Episcopi, Dei Servi Sanctorum catalogo adscripti fuerint, patet *ex lit. Paschalis II.* Canonizationis S. Petri Anagnini Episcopi, *dat.* 2. *Non. Iunij* 1110.

Libro tantùm miraculorum inspecto, probatur *lit. Canoniz. S. Eduardi dat. 7. Idus Febr.* 1061. §. 1.

Ex solâ scientiâ Pontificis ob familiaritatem habitam cum Canonizandis, & ob testimonium miraculorum, Gregorius IX. processit ad Canonizationem Sanctorum Dominici, & Francisci Confessorum, *liter. dat.* 14. *Kal. Augusti, ann.* 1238. §. 7. *&* 5. *Non. Iulij, ann.* 1235. §. 3.

Denique obtestatione juratâ à Confessario de morum innocentiâ, & super miraculis, assertione etiam juramento confirmatâ ab Episcopo, & Civibus Cremonensibus, qui ad Vrbem advenerant, ut Canonizationem S. Homoboni impetrarent, illum inter Sanctos retulit Innocentius III. *liter. dat.* 11. *Kal. Ianuar.* 1198. §. 2. *circà fin. &* §. 3.

F I N I S.

IN-

Index Rerum.

A.

ACTA *in Causâ Canonizat. Beati Petri de Alcantarâ. pag. 2. & seqq.*

Acta in Causâ Canonizationis Beatæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis. 37. & seqq.

Advocato Consistoriali, & Auditoribus Rotæ facultas concessa per Commissionem Leonis X. inquirendi super vitâ, & miraculis Beati Francisci de Paulâ. 361.

Advocatus Consistorialis interdùm in publico Consistorio Acta Canonizandi retulit. Interdùm verò tùm in publico, tùm in semipublico. 363.

Advocati Consistorialis instantiis habitis in publico Consistorio pro Canonizatione B. Didaci respondit Pontifex ipse Sixtus Quintus. 363.

Agapæ (sacra silicèt Convivia) in Ecclesijs fieri solitæ: deindè vetitæ. 335.

Alexander VII. laudatur. 284. & seqq. & 340.

Alphonsi Ciaconij assertio refellitur. 360.

per Altare Corpus Iesu Christi figuratur. 337.

Altaria consecrari vetitum sine Martyrum Reliquijs. 352.

Andreas Lao Procurator, & Vicarius Generalis Carmelitarum, magni nominis Concionator. 134. 296.

Auditores Rotæ ab Alexandro VII. creantur Subdiaconi Apostolici. 284. Literarum in formâ Brevis tenor inseritur. 286.

Auditoribus Rotæ concedit idem Alexander vestem, & cingulum pilei coloris violacei. 288. & seqq.

Auditoribus Rotæ, ac Advocato Consistoriali facultas concessa per Leonem X. inquirendi super vitâ, & miraculis B. Francisci de Paulâ. 362.

Auditores Rotæ Relationem vitæ Canonizandi in scriptis redigebant, atque Pontifici porrigebant. 363.

Auditores Rotæ, ac Protonotarij primâ vice admissi in Consistorium semipublicum tempore Sixti V. 363.

Auditores Rotæ ad referendum Acta super Canonizatione B. Bennonis admissi fuerunt in Consistorium secretum tempore Clementis VII. 364.

Augustiniani Fratres ad Proces-

ceſſiones Rom. Curiæ quando fuerint admiſſi. 354.

B.

in Baſilicâ Vaticanâ, antiquorum Patrum inſtitutionibus, Canonizationes peractæ. 274

Baſilicæ Vaticanæ ornatus ſolemnis pro die Canonizationis. 274. *& ſeqq.*

Bernardinus Caſalius Secretarius Congregationis Sac. Rituum deputatus à Summo Pontifice. 59.

C.

Cæremoniale antiquum prodijt in lucem inter antiquiſſimum Ordinem Romanum, & Cæremoniale modernum. 354.

Cæremonialis moderni diſpoſitio ſervanda eſt. 33[illegible].

Cæremoniale prædictum editum ſedente Leone X. 355.

Camilli Roſpigliosij S.R.E. Generalis munus in die Canonizationis. 268.

Canonizatio quid ſit. 330.

Canonizationis vox vndè ortum habuit. 343.

Canonizationis Beatorũ Petri de Alcantarâ, & Mariæ Magdalenæ de Pazzis dies indicitur. 259.

Canonizationis ejuſdem ſolemnitas deſcribitur. 293. *& ſeqq. uſque ad* 319.

Canonizationis Sententia in Baſilicâ Vaticanâ à Summo Pontifice prolata. 307.

Canonizationem Sanctorũ peragi poſſe, abſq; eo quòd Summus Pontifex Sacrum ſolemnitèr celebret, apertè demonſtratur authoritate, ac exemplis. 328. *& ſeqq. vſque ad* 356.

Canonizationem Sãctorum variÿs ritibus peractam fuiſſe oſtenditur. 328. *& ſeqq. vſque ad finem libri.*

de Canonizatione Sanctorum legem præſcripſit Alexander Tertius. 329. 332. 333.

Canonizandi antiquus ritus qualis. 331. *& ſeq.*

Canonizandi SS. poteſtas reſervata Sedi Apoſtolicæ ab Alexandro III. 332. 333.

Canonizatio Sanctorum pertinet ad Religionem, ac fidem. 333.

Canonizatio prima ſolemnis tempore Leonis Tertÿ. 340. 346. 356. *Caſtellini opinio reprobatur, contrarium aſſerentis.* 356.

in Canonizationis actu campanæ pulſabantur uſque à Pontificatu Leonis III. 341. *Ejuſdem pulsûs campanarum uſus miraculo probatus.* 362.

in Canonizationis actu Indulgentiæ concedebantur. 342.

in Canonizationis ſolemnitate, etiam à vetuſto tempore mirabi-

rabilis cereorum multitudo, ad signum lætitiæ demonstrandum, in Ecclesiâ ardebat. 348. & seq.

Canonizationes SS. etiam in Conciliis peractæ. 349. Imò in Conciliis tantùm Sancti declarari consueverant. 350 & 351.

in Canonizatione SS. Vexilla, cum eorum Imagine per Civitatem deferri, antiqui fuit instituti. 350.

in Canonizatione SS. præsentia vicinorum Episcoporum adhibita à tẽpore Cælestini III. 351. 356.

in Canonizatione Sancti Thomæ Cantuariensis Alexandrum Tertium, primùm omnium Pontificum, Missarum solemnia peregisse colligitur. pag. 355.

Canonizationes, à vetusto tempore, ad preces Imperatorum, Regum, Reginarum, ac Prælatorum (prout hodie quoque servatur) peractæ. 356. & seqq.

Canonizationis dies, à Pontificatu Nicolai V. in Consistorio generali primũ decreta. 358.

Canonizationis Acta per Cardinales Commissarios in Cõsistorio secreto primùm relata tẽpore Clementis IV. 358.

Canonizationis Acta ab antiquiore ex Cardinalibus Commissarijs in Consistorio semipublico relata tempore Pij II. pag. 358.

in Canonizationis solemnitate interdùm Summi Pontifices sermonem ad populum habuerunt de sanctitate vitæ, virtutibus, & miraculis Canonizandi. 359.

Canonizatio S. Petri Martyris solemnitèr peracta in plateâ pag. 348.

Canonizatio S. Brunonis absque ullâ solemnitate peracta à Leone X. 353.

Canonizatio prima solemnis plurium simul SS. ab Hadriano VI. peracta. 359. Castellini cõtraria opinio nullâ auctoritate roboratur. ibid. Ciaconij contraria assertio refellitur. 360.

Canonizatio plurium simùl SS. undè originem sumpsit. paginâ 361.

antè Canonizationem preces, & jejunia triduo antè Consistorium semipublicum indici capta, à tempore Sixti IV. 362.

pro Canonizatione triplex instantia, antè Pontificiæ sententiæ pronunciationem, habita tempore Sixti IV. ibid.

Cardinalis Alexandri Farnesij pia munificentia. 278.

Cardinalis Francisci Barberini

non

non impar liberalitas. 278.
Cardinalis idem Barberinus Decanus Sacrum solemnitèr celebrat die Canonizationis SS. Petri de Alcantarâ, & Mariæ Magdalenæ de Pazzis in Basil. Vaticanâ. 328.
Cardinalis Fridericus ab Hasfiâ Pro-Legatus Imperatoris ad Summum Pontificem. 264 *amplissimo comitatu defert literas Imperatoris ad Summum Pontificem pro petendâ Canonizatione Sanctæ Mariæ Magdalenæ. ibidem. ad Cardinalem Iacobum Rospiglioſium pro instantijs (ut ajunt) faciendis die Canonizationis*. 264. 266.
Cardinalis Iacobus Rospiglioſius instat nomine Imperatoris, ac Regis Hispaniarum in die Canonizationis. 264. *& duobus seqq. nec-non* 294. 301. *& seqq. ac* 314.
Caroli de Comitibus Ducis Poli, & Magistri sacri Hospitij munus in die Canonizationis. 270. 282. *Dignitas Magistri sacri Hospitij competit, ab immemorabili, Familiæ de Comitibus*. 282.
Cereos accendi per diem hæretici damnabant. 349.
S. Clementis templum divinitùs in mari extructum. 336.
Clementis IX. *Summi Pontificis modestia commendatur*. 37. 276. *Ac Pietas*. 133. *& quatuor seqq. Sermo habitus in Consistorio secreto pro Canonizatione B. Petri, & Beatæ Mariæ Magdalenæ*. 81. *in Consistorio semipublico de eorumdem meritis*. 140.
Clerici Cameræ Apostolicæ Præsidentes in Capellam Pontificiam revocati ab Alexandro VII. 290. 291.
Clerici Ceroferarij quatuor pro Capellâ Pontificiâ creãtur ab Alexandro VII. Bussolantes Pontificis: & literarum in formâ Brevis tenor ibi inscritur. 291. *& duob. seqq.*
Compendium vitæ, & miraculorum B. Petri de Alcantarâ, & B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, ab Archiepiscopo Tarsensi lucubratum. pag. 4. *usque ad* 80.
Compendij ejusdẽ exempla trãsmittuntur ad Cardinales, & Consultores Congreg. Sac. Rit. antè Congregationem. 3. *& 38. Alia ad omnes Cardinales antè Consistoriũ secretum*. 60. *Ad Cardinales, & Episcopos antè Consistoriũ semipublicum*. 89.
Confessoriæ literæ quid. 342. *mutatæ, & sublatæ*. 344.
Consistorium secretum, in quo actum fuit de hujusmodi Canoni-

nonizatione. 80. *& seqq.*
Consistorium publicum in Aulâ Regiâ Vaticanâ indicitur pro Relatione habendâ ab Advocatis Consistorialibus de Vitâ, & miraculis Bati Petri de Alcantarâ, & Beatæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis. 89. *Convocatum deindè*. 90. *qui debent interesse*. *ibid.*
Consistorium semipublicum indicitur. 137. *& seq. Convocatum in Aulâ Ducali Vaticanâ, in quo exponuntur Vota Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum pro Canonizatione præfatâ*. 138. *& seqq.*
Consistorij ejusdem ordo describitur. 138. *& seqq.*

D.

Decretum Congregationis Sacr. Rituum ab annis 1622. *&* 1660. *posse quandocùmque deveniri ad solemnem Canonizationem B. Petri de Alcantarâ*. 34. *& seq.*
Decretum ejusdem Congregationis, posse quandocumque deveniri ad solemnem Canonizationem B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis. 52. *&* 57.
Denunciatio Consistorij secreti pro Canonizatione. *pag.* 80.
Consistorij publici. *pag.* 89.
Consistorij semipublici. 137.
Capellæ Canonizationis. 271.

E.

Ecclesiæ Catholicæ laudes. 1.
in Ecclesiâ Catholicâ semper viget Sanctitas. 1.
Ecclesias nomine Martyrum, absque illorum Reliquijs, nisi is esset locus illorum passionis, aut originis, construi vetitum. 336.
Episcopi Vrbi propinqui monentur, ut Romam se conferant, in Consistorio semipublico suffragia laturi. 137. *Idem vetustiori ævo servatũ fuit*. 351. 356.
Expensæ pro Canonizatione. Vide *Ornamẽta, & Expensæ*.
Expensarum summa. 328.

F.

Festa Martyrum quàm antiqua, & quàm celebria. 334. *& seqq.*
Festivitatis tantùm indictione Servi Dei canonizabantur. 339. 340.
Francisci Mariæ Phœbei Archiepisc. Tarsensis, & Pontificiarum Cæremoniarũ Præfecti, Dissertatio, quâ probatur, necesse nequaquàm esse, quòd Summus Pontifex Sacrum solemnitèr celebret in Canonizationis actu. 329. *& seqq.*
Franciscus à S. Augustino Macedo laudatur. 361.

G.

Gentilium uſus accendendi cereos in ſepulcris. 349.

Gregorÿ IX. verba in Canonizatione S. Franciſci. 347.

I.

Imagines SS. Petri de Alcantarâ, & Mariæ Magdalenæ de Pazzis. Initio libri.

Imperator Leopoldus Summo Pontifici per epiſtolam gratias agit pro Decreto Canonizationis B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis. 264. *& duab. ſeqq.*

Imperatoris ejuſdem epiſtola ad Iacobum Cardinalem Roſpiglioſium, ut Suæ Majeſtatis nomine inſtare velit pro Canonizatione ejuſdem Beatæ. 266. *& ſeq.*

Indulgentiæ Chriſti-fidelibus elargitæ antè Canonizationē. 132. *& trib. ſeqq.*

Indulgētiæ pro Chriſti-fidelibus Canonizationi intereſſentibus. 261. 262.

Indulgentiæ diverſimodè conceſſæ in Canonizationibus Sanctorum. 345. *& ſeqq.*

Indulgentiarum origo. 342. *& ſeqq.*

Indumenta Cardinalium, & aliorum in Conſiſtorio publico. 90. *in Conſiſtorio ſemipublico.* 137.

Inſtantiæ Principum pro Canonizatione Beati Petri de Alcantarâ. 33. 36. 84. 114.

Inſtantiæ Principum pro Canonizatione B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis. 37. 88. 89. 130. 265. 266. 267.

Inſtantiæ Advocati Conſiſtorialis, Summo Pontifici in Baſilicâ Vaticanâ porrectæ, pro utriuſque Canonizatione. 302. 304. 306. Vide 361. *Vtque literæ Apoſtolicæ decernantur.* 308. *Ac Protonotarÿ per eumdem Advocatum rogantur, ut inſtrumenta de actu hujuſmodi cōficiant. ibid.*

Inſtructio ab Archiepiſc. Phœbeo emanata, de agendis in die Canonizationis. 268. *& ſequentibus.*

Io: Baptiſtæ Roſpigliosÿ Præfecti Cuſtodiarum Pontificiarum munus in die Canonizationis. 269.

L.

Libelli pacis, ſeù literæ confeſſoriæ quid. 342. *immutatæ, & ſublatæ.* 344.

in Liturgÿs antiquiſſimis SS. Iacobi, & Clementis, Apoſtolorum, ac nonnullorum Martyrum nomina recenſita. 337.

M.

Magiſtri Sacri Hoſpitÿ Dignitas competit ab immemorabili, familiæ de Comitibus. pag. 282.

Ma-

Maphæus Vegius laudatur. 273
Marchio Astorgæ Catholici Regis Orator literas tradit Sũmo Pontifici Clementi IX. & Cardinali Iacobo Rospiglioſio pro Canonizatione B. Petri de Alcantarâ. 267. *& ſeq.* Vide *Petrus Aluarez.*
Martyres olìm Epiſcopi in SS. numerum referebant. 331. *hæc poteſtas Epiſcopis ab Alexandro III. ſublata.* 332. *& ſeq.*
Martyres vindicare quid. 331. *& ſeq.*
Martyres membra Dei appellati. 333.
Martyribus tantùm, primis Eccleſiæ temporibus Sanctorum cultus exhibebatur; & quomodò. 334. *Deindè cum Confeſſoribus idem quoque peractum fuit.* 338.
Martyribus præſtitus cultus celebratione diei feſti in ipſorum honorem. 334. *Solemnium conventuum circà eorum corpora. ibid. Conſtructione Templorum.* 335. *Altarium erectione.* 337.
Martyrum nomina in antiquiſſimis Liturgÿs SS. Iacobi, & Clementis recenſita. 338.
Martyrum literæ quantùm lapſis olìm prodeſſent. 342. *& ſeq.*
Martyrum memoria annuâ die celebrata. 338.
Martyrum Reliquias impensè coluerunt Chriſtiani ab ipſius Eccleſiæ primordÿs. 337.
ſupra Martyrum ſepulcra, ſeu Memorias Miſſæ celebrabãtur. 337. *Idem cum Confeſſoribus deindè actum.* 338.
Martyrum ſepulcra, Altaria Dei appellantur, & quarè. 337.
Miracula requiruntur ad comprobandam Sanctitatem Serui Dei. 334.

O.

Oblationes deferendi ordo. 314.
Oblationes in Baſilicâ Vaticanâ die Canonizationis ad Pontificem deferunur à Cardinalibus Congregationis Sacrorum Rituum in vnoquoque ordine antiquioribus. 272. 313. *& ſeqq.*
Orationes propriæ SS. Canonizatorum in Miſsâ. 312. *& ſeq.*
Ordo Romanus, antiquiſſimus liber, quo Pontifices à tempore Stephani III. uſi fuere. pag. 353.
Ordo ſedendi in Capellâ Pontificiâ Vaticanâ in die Canonizationis. 299. *& ſeqq.*
S. Otto Epiſcopus Bambergenſis à Clemente III. non Cæleſtino II. canonizatus. 352. *& ſeq.*

Ornamenta, & expensæ pro Canonizatione : nempè
Pro Altari. 320.
Pro Summo Pontifice. 320.
Pro Ministris. 321.
Linea. 323.
Lignea. 324.
Picturæ. 325.
Cerea. 326.
Ornatus Ecclesiæ. 326.
Varia. 327.

P.

Patriarchalium Ecclesiarũ Vrbis Canonici creãtur ab Alexandro VII. Assistentes Celebranti in Capellâ Pontificiâ. 290. *& seq.*
D. Petro adhuc viventi Ecclesia dicata. 336. *&* 361.
Petrus Alvarez Marchio de Astorgâ, Catholici Regis apud Sũmum Pontificem Orator laudatur. 36. *amplissimo comitatu defert literas Regis, ac Reginæ Hispaniarum ad Summum Pontificem pro petendâ Canonizatione S. Petri*. 267. *ad Cardinalem Iacobum Rospigliosium pro instantijs (ut ajunt) faciendis die Canonizationis*. 267. *& seq.*
Pius II. sacrarum Cæremoniarum peritissimus, & olim earumdem Magister. 355.
Pontifex in Consistorio secreto exquirit Cardinalium suffragia super Canonizatione B. Petri de Alcantarâ. 85. *Et B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis*. 89. *Eorumdem Cardinalium assensus unanimis pro Canonizatione*. *Ibid.*
Pontifex in Consistorio semipublico exquirit Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum suffragia pro Canonizatione. 142. *Eorumdem vota*. 142. *& seqq.*
Pontifex Sixtus V. sermonem habuit, primus omnium Pontificum in Consistorio semipublico, de meritis Canonizandi, quod adhuc servatur. *pag.* 362.
Pontifex ubique habet assistentiam Spiritûs Sancti, nec errare potest in rebus fidei. 334
Pontifex an debeat in die Canonizationis solemnitèr celebrare. *pag.* 328. *& seqq.*
Pontificis verba, habita in Consistorio secreto. 81. 85. 89. *In semipublico*. 140. 141. 199. 259. 362. *In actu Canonizationis*. 305. 307. 308. 311. 347.
Preces, & Cæremoniæ in solemnitate Canonizationis. 301. *usque ad* 319.
Preces, & jejunia antè Consistorium semipublicum. 332. *& seq. Indici cœpta à Sixto*

Quar-

Processio indicitur pro die Canonizationis. 262. *& seq.*

Processionis solemnis in die Canonizationis descriptio. 295. *& seqq.*

in Processionibus Romanæ Curiæ, à tempore Alexandri IV. Dominicani, & Franciscani præcesserunt Augustinianos. pag. 354.

Procuratoris Fiscalis generalis R.C.A. instantia in Consistorio semipublico. 260.

Protonotariorum Collegium se rogat (ut ajunt) de gestis in actu Canonizationis. 308.

Protonotarij, & Auditores Rotæ primâ vice admissi in Cõsistorium semipublicum tempore Sixti V. 363.

R.

Reginæ, Regisque Hispaniarum infantis epistola indicatur, quâ expostulant à Cardinale Iacobo Rospigliosio, ut instare velit pro Canonizatione B. Petri de Alcantarâ. 267. *&* 268. Vide 301.

Regina Sveciæ Christina è superiori cubiculo videt, auditque gesta in Consistorio semipublico. 139. *& seq. Interest Canonizationi in Theatro Basilicæ Vaticanæ.* 280. *& seq.* 298.

Reginæ Sveciæ Margaritæ ad preces canonizatur S. Brigitta Vidua à Bonifacio IX. pag. 358.

Relatio habita anno 1660. *in Congregatione Sacrorum Rituum à Card. Iulio Sacchetto, de gestis, & Miraculis Beati Petri de Alcantarâ. pag.* 4. *usque ad* 33.

Relatio, seu Compendium vitæ B. Petri de Alcantarâ. trãsmissum ad Cardinales, & Cõsultores Congregationis Sacrorum Rituum. 3. *B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis.* 38. *usque ad* 56.

Relatio habita in Consistorio secreto anno 1669. *à Cardinale Martio Ginetto, de gestis, & miraculis Beati Petri de Alcantarâ.* 81. *& seqq.*

Relatio habita ab eodem Cardinale Ginetto in secreto Consistorio anno 1669. *de gestis, & miraculis Beatæ Magdalenæ de Pazzis* 85. *& seqq.*

Relatio habita in Consistorio publico ab Advocato Consistoriali Caprariâ, de gestis, & miraculis B. Petri de Alcantarâ. 91. *usque ad* 115.

Relatio habita in eodem Consistorio ab Advocato Consistoriali Severolo, de gestis, & miraculis B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis. 116. *usque ad* 131.

Reliquiarum cultus à primis Ecclesiæ temporibus, præstitus. 334. *& seq.*

S.

Sanctorum successio in Ecclesiâ perpetua. pag. 1.

Sanctus ut aliquis sit in Ecclesiâ triumphante, quid sufficiat: & quid requiratur, ut quis Sanctus habeatur apud homines in Ecclesiâ militante. pag. 333. & 334.

Secretarij Pontificis Nerlij Responsiones in publico Consistorio. 115. 131.

Secretarij ejusdem Responsa in Basilicâ Vat. 302. 304. 306.

Sententia Canonizationis. 307.

Servi Dei canonizati solâ annotatione unius Episcopi. 364 *libro tantùm miraculorum inspecto.* ibid. *ex solâ scientiâ Pontificis ob familiaritatem habitam cum Canonizãdis.* ibid. *obtestatione juratâ à Confessario super sanctitate vitæ, & miraculis Canonizandi.* ibidem.

Signaturæ Votantes ab Alexandro VII. Acolythi Apostolici creantur. 285. *Literarum in formâ Brevis tenor.* 286.

Sueciæ Regina. Vide *Regina Sueciæ.*

T.

Templa Martyribus, à primitivâ Ecclesiâ, extructa. 335.

Theatri, pro Canonizatione in Basilicâ Vaticanâ extructi, descriptio. 278. *& seqq. Ejusdem Ichnographia.* 300. *& prospectus.* ibidem.

Thomæ Rospigliosij Castellani Arcis S. Angeli munus in die Canonizationis. 269.

V.

Virgini Beatissimæ adhuc viventi Templum construitur. pag. 361.

Vota singulorum Cardinalium in Vrbe præsentium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum, pro Canonizatione B. Petri de Alcantarâ. 142. *usque ad* 198.

Vota eorumdem pro Canonizatione B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis. pag. 199. *usque ad* 259.

Vota quomodò ferantur. 138.

Vsus Cereorum ardentium in solemnitate Canonizationis. 348. *in Ecclesiâ probatus.* pag. 349.

FINIS.

ERratā, quæ Typographi incuriâ exciderunt, benevolus Lector pro ſuâ benignitate dignabitur condonare; nec, ut id exorem, multo verborum circuitu opus eſſe exiſtimo;

Nullus enim vitijs ſine ſit liber: optimus ille eſt,
Qui minimis urgetur.

REGESTVM.

†AB CDEFGHIKLM NOPQRSTV
XYZ.
Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo
Pp Qq Rr Ss Tt Vu Xx Yy Zz.
Aa a.
Omnia ſunt folia integra.

ROMAE:
Excudebat Fabius de Falco: M. DC. LXIX.
SVPERIORVM PERMISSV.

XXX
SPECIAL
94-B17242
THE GETTY CENTER
LIBRARY